


Zhire
Barthlome

ENCHIRIDION JURIS UTRIUSQUE.



ENCHIRIDION
JURIS UTRIUSQUE:

Seu Definitiones, Distinctiones, & Quæstiones clarè, & breviter definitæ

JURIS CANONICI, ET CIVILIS:

SYPNOPSI BIFARIA,

Et in priore quidem omnes Decretalium.

Bartholomæus AUCTORE

BARTHOLOMÆO A CARTHAGENA.

In posteriore verò

OMNES INSTITUTIONUM IMPERIALIUM.


AUCTORE B. S.

Libros ac Titulos breviter ac perspicuè explanantes, ac enucleantes.

MATRITI MDCCLXXXII.

Apud JOACHIMUM IBARRA, Catholicæ Majestatis Typographum.

Superiorum permissu.



SYNOPSIS PRIOR
JURIS CANONICI,
SEU
Definitionum, Distinctionum, & Quæstionum, omnes Decretalium Libros, & Titulos, juxta seriem illorum breviter, ac perspicue enucleantium.

Et à Barthol. à Carthagena congestarum.

LIBER PRIMUS.

Quid est Jus Canonicum?

Quod constat Decretis Pontificum, Statutis Conciliorum tam generalium quam provincialium, aliisque regulis SS. Patrum.

Unde dictum est Canonicum?

A verbo Græco, *canon*, quod latinè re-

gula nuncupatur, eo quod normam rectè vivendi præbeat, & quod distortum pravumque est, corrigat: ut hominem ad cælestem beatitudinem perducat.

Quæ sunt partes Juris Canonici?

Hæ: Decretum, Decretales, Sextus Decretalium, Clementinæ, & Extravagantes, tum Joannis XXII. tum communes.

Decretum à quo & unde collectum?

Collectum est à Gratiano ex variis Sacræ Scripturæ locis, SS. Patrum sententiis, Summorum Pontificum Epistolis & Conciliis. Decreti tres sunt partes. Prima continet distinctiones 101. Secunda complectitur causas 36. cui insertus est tractatus de Pœnitentia. Tertia materiam Consecrationis quinque distinctionibus declarat.

Decretales à quo & unde collectæ?

A Gregorio IX. Summo Pontifice ex Summorum Pontificum Epistolis, Constitutionibus, ac Conciliis. Decretales constant 5. libris, in quibus iste ordo versatur, ut primo libro agatur de personis. 2. De ordine judiciorum. 3. De rebus. 4. De sponsalibus & matrimonio. 5. De criminibus, quibus etiam hic versus significat;

Judex, judicium, clerus, sponsalia, crimen.

Sextus Decretalium unde & à quo collectus?

A Bonifacio VIII. in Concilio Lugdunensi, ex quibusdam Gregorii IX. subsequentium Pontificum Constitutionibus, multis insuper ejusdem Bonifacii insertis.

Cur appellatur Sextus?

Quia 5. à Gregorio IX. Decretalium libris editis demum à Bonifacio VIII. confectus est; constans tamen pariter 5. libris, ordine superiori versu demonstrato.

Unde Clementinæ & Extravagantes collectæ?

Ex Clementis V. & variorum Pontificum Constitutionibus. Ex quibus palam fit Decretales, Sextum Decretalium, Clementinas, & Extravagantes indubiè Authenticam habere auctoritatem.

Cur dicuntur Clementinæ?

Quia nullas continent Constitutiones præter eas, quæ sunt Clementis V.

Quotuplex est causa Juris Canonici?

Multiplex: *Efficiens* est Legislator. *Materialis* consistit in rebus & personis Ecclesiasticis. *Formalis* in dispositione & se-

rie titulorum. *Finalis* est salus animarum, seu vita talis, quam sequatur beatitudo, qui finis multum differt à fine juris Civilis externam politiam tantum spectantis.

TITULUS I.

De Summa Trinitate.

Cur primo titulo agitur de Summa Trinitate?

Quia à Deo omne opus est inchoandum, merito Pontifex à solidissimo Trinitatis fundamento orsus est, in quo Deum unum in essentia, & trinum in personis, tamquam præcipuum fidei nostræ articulum confitemur.

TITULUS II.

De Constitutionibus.

Quid est Constitutio?

Constitutio sive jus scriptum dicitur à *constituendo*, id est, simul statuendo: fit enim dupliciter, generaliter aut specialiter. Generaliter omnes juris scripti sive Canonici, sive Civilis partes *comprehendit.*

Quot

Quot modis constituitur?

Tribus: per Epistolam, Decretum, & Edictum.

Quotuplex est Constitutio?

Duplex: alia Civilis, alia Ecclesiasica. Civilis est, quam Princeps, aut Magistratus, aut populus sibi faciunt. Ecclesiastica igitur est, quæ à potestate, seu jurisdictione ecclesiastica emanat.

Quot sunt species Constitutionis Ecclesiasticæ?

Septem: Canon, Decretales Epistolæ, Decreta, Dogmata, Mandata, Interdicta, Sanctiones.

Quid est Canon?

Canon (strictè) est Constitutio, quæ in Concilio generali, provinciali, vel episcopali promulgatur.

Cur dicis strictè?

Quia in latiori significatione sumitur pro qualibet Constitutione, eo quod ratio Canonis sive regula conveniat omni Constitutioni Ecclesiasticæ.

Quæ sunt Decretales Epistolæ?

Sunt Constitutiones, quas Romanus Pontifex alicui transmittit ad ejus consultationem.

Quæ sunt decreta?

Sunt Romani Pontificis Constitutiones, quæ ad nullius consultationem ex Concilio Cardinalium sunt editæ.

Quæ dicuntur Dogmata, Mandata, Interdicta, Sanctiones?

Dogmata dicuntur Constitutiones Ecclesiæ, quæ ad fidem christianam: *Mandata*, quæ ad disciplinam Ecclesiasticam: *Interdicta*, quæ ad correctionem imminentium malorum ordinantur: *Sanctiones*, quæ pœnam continent ad cautelam futurorum.

Explica quæ Concilia generalia, Provincialia, & episcopalia sint.

Generalia sunt, quibus intersunt Episcopi totius orbis, nisi impediantur: debent ea celebrari Romani Pontificis auctoritate, quibus ipsemet præsidet, aut ejus Legatus ad id specialiter destinatus. *Provincialia*, quæ auctoritate Patriarchæ, Primatum, aut Metropolitanorum, seu Archiepiscoporum ejusdem *regni*, *nationis*, vel *provinciæ* celebrantur. Unde patet sub *provincialibus* comprehendi Concilia, quæ vocant nationalia; licet sæpè universalia & generalia nuncupentur.

Con

Concilia Episcopalia sunt, in quibus conveniunt tantum Presbyteri unius Episcopatus, & iis Episcopus præsidet. *Generalia Concilia* celebrantur quoties Romano Pontifici visum fuerit. *Provincilia* olim bis in anno celebrari debebant, postea sufficiebat semel in anno celebrare; *hodie* vero ex decreto Concilii Tridentini (*a*) quolibet saltem triennio celebrentur oportet, & Synodi Diœcesanæ quotannis. Quæ in Conciliis *generalibus* statuuntur, omnes indistinctè adstringunt: quæ vero in Conciliis *provincialibus* ejus provinciæ, civitatis, & Diœcesis homines dumtaxat devinciunt.

Qui possunt leges condere?

Concilia generalia, provincialia, & episcopalia: deinde Papa solus etiam sine Concilio Cardinalium, Legati Pontificis, Episcopi, & Archiepiscopi, Primates, Abbates exempti habentes Episcopalem jurisdictionem, Cardinales, aliique Antistites.

Qui obligantur legibus Romani Pontificis?

Distingue: quoad *spiritualia* obligantur omnes, exceptis infidelibus, qui scilicet

bap-

baptizati non sunt: quoad *temporalia* illi solum qui sunt in ejus provinciis, quas vulgo vocant terras Ecclesiæ. Ratio differentiæ est, quia Papa in spiritualibus ubique habet jurisdictionem: in temporalibus tantum in quibusdam provinciis.

Cur dicis: Exceptis infidelibus?

Quia infideles non sunt de Ecclesia, unde ait Apostolus: Quid mihi de his qui foris sunt judicare?

Qui obligantur legibus inferiorum Romani Pontificis?

Illi dumtaxat, qui sunt intrà eorum provinciam & diœcesim.

Quæ requiruntur ut lex obliget?

1. Ut sit justa & lata ab eo qui potestatem ferendi habet. Respiciat bonum commune, non contineat materiam malam, & servet æqualitatem proportionis inter subditos. 2. Ut sit promulgata. 3. Ut sit recepta. 4. Non sit probabiliter ignorata. 5. Nam probabilis ignorantia excusat à pœna in lege comprehensa.

Ad quæ negotia leges extenduntur?

Ad futura; non ad præterita, nisi id expressum sit.

(a) *Trid. Sess. 24. de Refor. c. 2.*

TITULUS III.

De Rescriptis.

Quid est Rescriptum?

Est confessio Principis per litteras authenticas facta (*a*).

Quotuplex est?

Multiplex: aliud canonicum, aliud civile, aliud gratiæ, aliud justitiæ.

Quid est rescriptum justitiæ?

Quod tendit ad justitiam administrandam.

Quid est rescriptum gratiæ?

Quando aliquid gratiosè conceditur, uti quando Papa alicui de dignitate aut beneficio providet.

Quomodo differt rescriptum gratiæ à privilegio?

Quod privilegium sit jussio specialis contra jus commune, veluti si Papa litteris suis permittat alicui duas dignitates obtinere.

Quæ est altera divisio?

Quod aliud sit falsum, aliud obreptitium & subreptitium.

Quid est rescriptum falsum?

Quod non emanat à Principe, sed aliquis privatus sibi affinxit.

Quid est rescriptum obreptitium & subreptitium?

Prius est dum exprimitur falsitas, posterius dum veritas supprimitur.

Quid si malitiosè, vel per errorem, sive simplicitatem contigerit?

Priori casu rescriptum gratiæ, quia ambitiosum, erit plane nullum: posteriori valebit ut pro veritate & æquitate rei procedatur, si videlicet Princeps eo non obstante fuisset rescripturus. *Cap. Super litteris h. t.*

Cur dicis rescriptum gratiæ.

Quia rescriptum justitiæ tantum eliditur ope exceptionis, quandoquidem in eo tantum vertitur interesse partis.

Quis rescribere potest?

Solus Princeps, superiorem non habens, & omnes (non impediti ut hæretici) servi rescriptum impetrare possunt.

Si duo rescripta à diversis proferantur?

Prius prævalebit posteriori, nisi posterius de priori mentionem faciat; vel sit

spe-

peciale, quia in toto jure generi per spe-
iem derogatur.

(a) *Rebuff. ad Constitut. Reg. t. 2. de Res.*

TITULUS IV.

De Consuetudine.

Quid est Consuetudo?

Jus non scriptum tacito populi consensu diuturnis moribus introducum.

Quæ requiruntur ad consuetudinem?

1. Ut sit rationabilis: deinde aliquot ctus intervenerint. 2. Præterierit temus à lege requisitum, vel scientia Principis superiorem non agnoscentis, & ejus onsensus, saltem tacitus. Nam consuetulo intrat viâ conniventiæ, vel præscripionis.

Quotuplex est?

Alia generalis, alia particularis; item lia canonica, & alia civilis: & utraque ubdividitur in eam, quæ est præter legem, & aliam quæ est secundum legem, & aliam quæ est contra legem.

Quot actus requiruntur?

Videtur id relinquendum judicis arbitrio.

trio. *Menoch. de Arbit. cas.* 81. & 83. ejus enim est æstimare, qualiter & quando populus videatur consensisse.

TITULUS V.

De Postulatione.

Quid est Postulatio?

Est concors Capitularium petitio alicujus in Prælatum, qui ex aliquo defectu canonico ad regendam Ecclesiam eligi non poterat.

Cur addis canonico?

Quia naturaliter incapax non potest postulari.

An Cardinales, Abbates & alii Religiosi possint eligi, an vero debeant postulari?

Possunt eligi Cardinales, Abbates; Religiosi tamen assensum suum præstare non possunt sine Superioris licentia.

An postulantes possint postulationem revocare?

Possunt, si necdum est præsentata Superiori; at verò ubi est præsentata Superiori, non possunt revocare, quia quod semel placuit, amplius displicere potest.

TI-

TITULUS VI.

De electione, et electi potestate.

Quid est Electio?

Electio est personæ idoneæ ad prælaturam, vel dignitatem canonicè facta vocatio.

Quomodo differt à Postulatione?

Quod hæc sit personæ canonicè inidoneæ, electio verò idoneæ facta vocatio; unde postulatio nititur gratiâ, electio jure, ideoque electus confirmari debet, non sic postulatus. Denique postulatio fieri debet omnium votis, electio verò tantum à majore & saniore parte Capituli. Nisi numerus postulantium fuerit duplo major numero eligentium.

Quot modis fit?

His tribus. 1) Per veram inspirationem. 2. Per compromissum. 3. Per scrutinium. *Per veram inspirationem* fit, quando omnium vota in unam eamdemque personam cadunt, ita inspirante S. Spiritu. *Per quasi inspirationem*, quando omnium quidem vota in unam eamdemque personam cadunt sine prævia conspiratione. *Per com-*

promissum, quando electores in aliquos compromittunt, ut ipsimet eligant nomine omnium. *Per scrutinium*, quando singulorum eligentium vota in secreto recipiuntur à quibusdam.

Qui possunt eligere?

Soli Clerici; & quidem *Papa* eligitur à Cardinalibus. *Episcopus* à Capitulo, demptis impuberibus, suspensis, & aliis censura detentis: *Abbas* à Religiosis illius monasterii, exceptis Laicis & Conversis, & iis qui necdum sunt professi.

An absens, qui jus habet eligendi, debeat vocari?

Omnino: & quidem si aliquo casu ad electionem accedere fuerit impeditus, votum suum uni de Capitulo, vel *pluribus in solidum* mandare potest.

Cur dicis: Uni de Capitulo?

Quia extraneo, invitis Canonicis, demandare non potest, sed bene volentibus.

An iste unus de Capitulo possit votum suum & mandatum in diversas personas dirigere?

Minimè; nisi de certa eligenda persona mandatum acceperit.

Cur dicis: Vel pluribus in solidum?

Quia si non in solidum mandaverit, nullus eorum admittetur, sibique mandans imputet, qui sic imprudenter eos constituerit.

Ex istis pluribus sic constitutis, quis præferri debet in reddendo voto?

Melior erit conditio occupantis: quòd si nullus prior appareat, ille admittitur, quem Capitulum elegerit.

An absens non possit per litteras votum suum reddere?

Minimè: quia vota secretè & sigillatim sunt exscribenda.

Electione factâ quid agendum?

Debet scriptura (cui electionis series inscripta est) electo intra octo dies offerri, ex quo id commodè potest & electi consensus peti: electus verò acceptis electionis suæ codicillis debet *assensum* præstare: assensu præstito debet *confirmationem* petere, deinde *consecrationem*, & Metropolitanus post consecrationem *pallium* petere.

Intra quod tempus debet Electus assensum suum præstare?

Intra mensem, computando à die præ-

sentationis, & notitiæ electionis. Aliàs ipso jure amittet jus, quod ex electione acquisiverat, electoresque ad aliam electionem liberè poterunt convolare. Quòd si electus esset Religiosus, qui non potest assentiri veniâ à Prælato non impetratâ, huic supra dictum mensem tantum tempus dabitur, quantum satis esse videbitur licentiæ à Prælato impetrandæ, consideratâ Prælati distantia.

Intra quod tempus debet peti confirmatio?

Intra tres menses post consensum præstitum electioni, si nullum justum impedimentum obstet, aliàs viribus evacuatur electio: confirmatio autem debet fieri cum causæ cognitione, & vocatis illis quorum interest.

Intra quod tempus debet peti consecratio?

Intra tres menses à tempore confirmationis obtentæ: cui consecrationi intersunt Metropolitanus & Episcopi comprovinciales, saltem duo, quod si deficiunt Episcopi comprovinciales, advocandi sunt Episcopi vicinæ provinciæ.

Quomodo fit consecratio?

Fit unctione capitis & manuum sacro Chrismate (quod ex oleo & balsamo confec-

fectum est) solemnibus verbis additis.

Intra quod tempus debet Metropolitanus Pallium petere?

Intra tres menses à die consecrationis.

An Electus ante confirmationem possit res Ecclesiæ administrare?

Non, neque in spiritualibus, neque in temporalibus, quantumvis ut procurator aut œconomus vellet administrare: quod si negotiis Ecclesiæ se temere ingerat, privatur suo jure.

An Electus confirmatus ante consecrationem possit administrare?

Potest ea, quæ sunt jurisdictionis exercere, v. g. corrigere, excommunicare; non autem ea, quæ sunt ordinis, v. g. Clericos ordinare, altaria consecrare.

An Metropolitanus ante pallii impetrationem possit administrare?

Omnino: sunt tamen multa quæ sine pallio non possunt fieri, ut convocare Concilium, Chrisma conficere, Basilicas dedicare, Clericos ordinare, Episcopos consecrare.

TITULUS VII.

De Translatione Episcopi.

Quid est Translatio Episcopi?

Est transitio Episcopi de una Ecclesia ad aliam.

An Episcopus transferri possit?

Potest, si id Ecclesiæ necessitas, vel patens utilitas postulat. Aliàs non; cum enim per confirmationem ineatur inter Episcopum & Ecclesiam spirituale matrimonium, non potest Episcopus sine causa ab Ecclesia sua, cui semel desponsatus est, divertere sive separari. Et si propria auctoritate id facere ausus fuerit, carebit utrâque Ecclesiâ.

Ad quem ergo pertinet jus transferendi Episcopum?

Ad solum Romanum Pontificem, sive Episcopus fuerit consecratus, sive tantum confirmatus, quia consecratio subsequens quoad substantiam spiritualis vinculi nihil addit, Sed denotat solam consummationem.

TITULUS VIII.

De Auctoritate & usu Pallii.

Quid est Pallium?

Est ornamentum Patriarcharum, Archiepiscoporum (& interdum ex privilegiis Episcoporum) de corpore B. Petri sumptum, Pastoralis officii plenitudinem conferens.

Cur dicitur sumi de corpore B. Petri?

Vel quia super altare B. Petri benedicitur & consecratur, atque statim ab illo excipiatur, qui usurus est, si præsens sit, aut si absens ab ipsius procuratore ejus nomine: vel quia à Romana Ecclesia proficiscitur.

A quo petitur pallium?

Patriarchæ petunt à S. Pontifice; Archiepiscopi, qui subsunt Patriarchis, ab iis pallium petunt.

Quomodò ergo dicis pallium à Romanâ Ecclesia proficisci?

Quia dum Patriarchæ Archiepiscopis sibi subditis pallium conferunt, non id faciunt citra Papæ auctoritatem.

Quando licet uti pallio?

Romano Pontifici licet semper uti; aliis vero non, nisi in certis diebus solemnibus.

Quo in loco licet uti pallio?

Romano Pontifici ubique, aliis non nisi in Ecclesiis suae Provinciae, nisi de licentia Papae habuerint ampliorem utendi potestatem.

An quis pallium suum alteri possit concedere?

Non, quia est personale, & personae debet haerere. Ideoque Episcopus defunctus cum pallio sepelitur.

TITULUS LX.

De Renuntiatione.

Quid est Renuntiatio?

Est spontanea abdicatio juris sibi competentis.

An quis libere renuntiare possit beneficio Ecclesiastico?

Minimè, licet ordinarii juris sit, in rebus privatis quemlibet res suas liberè posse abdicare.

Quid requiritur ut valida sit?

Debet fieri sponte cum licentia superioris.

A quo superiore petenda est licentia?

Episcopi à Romano Pontifice licentiam impetrare debent, quæ facilè conceditur ob unam ex causis his carminibus comprehensis:

Debilis, ignarus, malè conscius,
irregularis, quem mala plebs odit,
dans scandala cedere possit.

Alii verò licentiam petent ab iis, à quibus confirmati sunt, aut instituti.

Quid si quis nondum cesserit, sed cedendi licentiam à superiore impetraverit, an licebit ei postea cessione abstinere?

Non, sed à superiori cedere cogi poterit.

Si quis ergo propria auctoritate cesserit, an beneficium perdet?

Non, nam saltem beneficii proprietas penè eum remanet.

An Papa renuntiare non possit Papatui, cum nullum habeat superiorem?

Ita, quod ergo dicitur renuntiationem de-

debere fieri auctoritate Superioris, intellige ubi est Superior.

Quid si ergo vi, vel metu facta est renuntiatio?

Irritabitur.

TITULUS X.

De Supplenda negligentia Prælatorum.

Intra quod tempus debet fieri electio & collatio beneficiorum?

Episcopi aut Prælati regularis electio debet fieri intra tres menses: aliarum vero dignitatum & beneficiorum electio, aut collatio intra sex menses.

Quid si intra prædictum tempus per negligentiam non fuerit facta?

Pro ea vice jus eligendi, aut conferendi devolvetur ad superiorem, v. gr. Episcopo negligente devolutio fit ad Archiepiscopum, & sic consequenter.

TITULUS XI.

De Temporibus ordinationum.

Quid est ordinatio?

Est ritus consecrandi personas ecclesiasticas, quo confertur gratia ad

obeunda decenter munia ecclesiastica.

Quotuplex est ordinatio generice sumpta?

Duplex: major, quæ majores ordines continet, & minor quæ minores.

Quot sunt Ordines?

Dissentiunt hic Theologi, & Canonistæ: hi 9. agnoscunt, 5. *minores*, Ostiariorum, Psalmistarum, seu Cantorum, Lectorum, Exorcistarum, Acolytorum: & 4. *majores*, seu *sacros*, Subdiaconorum, Diaconorum, Presbyterorum, & Episcoporum: illi agnoscunt tantùm 7. 4. *minores* (rejiciunt scilicet officium Psalmistæ) & 3. *majores*, omisso Episcoporum ordine. Utrique tamen benè numerant; cùm enim Theologi considerent ordines, ut se habent ad sacrificium Missæ, rectè tantùm septem ordines ponunt. Episcopus & Presbyter, Psalmista & Cantor idem ministerium exhibent, adeoque Episcoporum & Psalmistarum ordines non sunt diversi ab ordinibus Presbyterorum & Lectorum. At vero Canonistæ considerant ordines, ut hierarchiam constituunt, seu distinctionem personarum à Deo electarum, & idcirco rectè distinguunt Episcopos & Psalmistas à Presbyteris & Lectoribus.

Qui

Qui sunt Ostiarii?

Ii sunt, ad quos pertinent claves Templi, omnia intus & extra custodientes.

Qui Psalmistæ?

Qui officium suscipiunt cantandi Presbytero solum jubente.

Qui Lectores?

Qui lectiones debent pronuntiare.

Qui Exorcistæ?

Qui super catechumenos invocant ad expellendos malos spiritus.

Qui Acolyti?

Qui cereum deferre debent, unde & *ceroferarii* latinè dicuntur.

Qui Subdiaconi?

Qui subjacent officiis Diaconorum; ad quos pertinet patenam & calicem ad altare deferre.

Qui Diaconi?

Qui Sacerdotibus celebrantibus in omnibus assistunt.

Qui Sacerdotes?

Qui Sacramentum Corporis & Sanguinis Domini in altari conficiunt.

Qui Episcopi?

Ad quos pertinet Sacerdotum & Basil-

licarum consecratio, unctio altaris, & confectio Chrismatis.

Quotuplex est ordo Episcoporum?

Quadruplex: alii enim sunt Patriarchæ, alii Archiepiscopi, alii Metropolitani, alii Episcopi.

Qui Episcopi?

Qui singulis civitatibus cum Diœcesi præsunt.

Qui Metropolitani?

Metropolitani (qui & Archiepiscopi quandoque nuncupantur) sunt illi, qui singulis Provinciis præsident.

Qui Archiepiscopi?

Archiepiscopi, seu Primates sunt, quibus Metropolitani subjiciuntur, cæterique ejus Provinciæ Episcopi. Ejusmodi Cantuariensis, Aquilejensis, & Bituricensis, & hi Patriarchæ interdum appellantur.

Qui Patriarchæ?

Propriè sunt illi summi Patres, qui primum post Pontificem locum obtinent, quales sunt Constantinopolitanus, Alexandrinus, Antiochenus & Hierosolymitanus.

Quibus diebus conferuntur Ordines?

Minores Ordines conferri possunt die-

bus Sabbatinis, Dominicis & Festis: at *sacri* Ordines debent conferri diebus Sabbati, nisi conferantur à Summo Pontifice.

Quinam Ordines dicuntur Sacri?

Qui sacram continentiæ obligationem annexam habent, ut Subdiaconatus, Diaconatus, & Presbyteratus.

Quoties in anno conferuntur Ordines?

Sacri Ordines non conferuntur nisi sexies in anno, quatuor Temporibus, Sabbato Sancto, & Sabbato ante Dominicam de Passione.

Quid si quis ergo extra dicta tempora sit ordinatus?

Taliter ordinatus ab ordinum susceptorum executione suspenditur, & Episcopus graviter punitur: hodieque suspensus est ab ordinum collatione per annum ex Concilio Tridentino.

An omnes Ordines possint eidem eodem die conferri?

Non nisi unus ex sacris Ordinibus uno die conferri potest; at *minores* Ordines ex opinione multorum conferri possunt omnes eodem die secundum dispositionem Juris Canonici. Imò Navarrus (*a*) putat etiam

etiam post Concilium Tridentinum (ubi esset hujusmodi consuetudo) posse quempiam suscipere uno eodemque die quatuor *minores* Ordines & Subdiaconatum, quod tamen non est sine difficultate?

A quo debent peti Ordines?

A proprio Episcopo sacri Ordines petuntur, nec ab alio conferri possunt, nisi cum litteris dimissoriis: 1. Nisi ex Episcopi proprii permissione; minores autem Ordines potest etiam Abbas conferri suis Monachis, & his, in quos habet Episcopalem jurisdictionem.

Quid si quis sit ordinatus ab alio Episcopo, sine litteris dimissoriis?

Ordinans à collatione ordinum, per annum, & ordinatus à susceptorum ordinum executione, quamdiu Ordinario proprio videbitur, suspensus erit.

An Latini Clerici à Græcis, & contra possint ordinari?

Non, ne rituum fiant commixtiones.

(*a*) *Sess.* 23. *de Reform. c.* 8. *in Man. conf. c.* 25. *n.* 71. *Conc. Trid. d. c.* 8.

TITULUS XII.

De Scrutinio in ordine faciendo.

Quid est Scrutinium, & unde dictum?

Scrutinium varie accipitur: modo pro inquisitione suffragiorum, quæ fit in electionibus: modo pro catechismis, quos primitiva Ecclesia facere consueverat in baptizandis iis, qui habebant usum rationis; hic autem accipitur pro quodam examine ordinandorum, & dicitur à *scrutor, scrutaris*, is qui examinat ordinandos, scrutatur sive examinat ordinandos, scrutatur sive examinat mores & conditiones eorum, qui se offerunt ad ordines.

Quando fit istud examen?

Feriâ quartâ ante Sabbatum, quo conferuntur ordines: tunc enim inquiritur in natales, mores & conditiones eorum, qui se offerunt ad ordines.

C. Unic. h.t. Conc. Trid. sess.23.de Refor. c.7.

TI-

TITULUS XIII.

De ordinandis ab Episcopo.

Hæretico excommunicato, vel qui renuntiavit Episcopatui, an recipiant characterem & executionem ordinum?

Recipiunt characterem, sed non executionem ordinum: poterit tamen Episcopus cum eis dispensare.

TITULUS XIV.

De ætate & qualitate præficiendorum.

An quilibet promoveri possit ad Ordines?

Minimè: prohibentur enim aliqui ob ætatem, vitium corporis, animi, &c.

Cujus ætatis debet esse?

Jure Pontificio ad minores ordines septennis admittebatur, ad Subdiaconatum in anno 18. ad Diaconatum in anno 20. ad Presbyteratum in anno 25. at Concilium Tridentinum nullam ætatem præfixit minoribus ordinibus. Sed ad Subdiaconatum neminem admittit ante annum 22. ad Diaconatum ante annum 23, & ad Presby-

teratum ante 25. ætatis suæ inceptum.

Sed quæ ætas requiritur ad obtinenda beneficia simplicia?

Jure Pontificio potuerunt conferri septenni; at Concilium Tridentinum vetat ante annum 14. obtinere.

Quæ ætas requiritur ad obtinenda beneficia non simplicia?

Ad Episcopatum requiritur annos 30. ad Abbatias autem & dignitates Episcopatu inferiores debet quis attigisse annum 25. & ad obtinendam Ecclesiam Parochialem. Verùm ad obtinendas dignitates & Personatus, quibus animarum cura non est annexa, non debet esse minor annis 22. ex definitione Concilii Trid. etsi tamen jus Pontificium annum 25. requirere videtur.

Quæ ætas requiritur in Abbatissa, & aliis Præpositis Monialium?

Non eliguntur nisi excesserint annum 30. & ex Concilio Trid. non eliguntur minores annis 40.

Qui-

Quibus ordinibus insignitos eos esse oportet, qui ad dignitates promoventur?

Subdiaconum esse oportet qui eligitur in Episcopum, & oportet eum esse Presbyterum, priusquam consecretur: qui verò assumuntur ad dignitates Episcopatu inferiores, vel ad Ecclesiam Parochialem, non debent necessario ex multorum opinione esse Subdiaconi tempore electionis aut collationis, sed sufficit, si habeant minores, aut forte tonsuram clericalem.

Sess. 23. *de Ref. c.* 13. *sess.* 23. *c.* 6. *d. c.* 12. *sess.* 15. *c.* 7.

TITULUS XV.

De sacra Unctione.

Quid est sacra Unctio?

Est Sacri olei materialis delibatio, seu delibutio, secundum formam Ecclesiæ traditam.

Quotuplex est Unctio?

Duplex: *exterior*, est materialis, quâ corpus inungitur: *Interior* est spiritualis, quâ ad nitorem conscientiæ conservan-

dum, & divinam gratiam adipiscendam ungitur.

Qui, & quomodo unguntur?

Episcopi unguntur Chrismate ex oleo & balsamo confecto, in capite & manibus. *Sacerdotes* simplici oleo benedicto in manibus unguntur: *Reges* oleo benedicto unguntur in brachio: item omnes *Christiani* unguntur ante & post baptismum: Ecclesia etiam ungitur Chrismate, dum dedicatur, *altare* dum consecratur oleo & Chrismate, *calix* cùm benedicitur Chrismate ungitur, &c.

TITULUS XVI.

De Sacramentis non iterandis.

An Sacramenta possint iterari?

Quædam possunt, quædam non possunt.

Quæ possunt iterari?

Pœnitentia, Eucharistia, Extrema Unctio, & Matrimonium, sive quæ non imprimunt characterem.

Quæ non possunt iterari?

Hæc sola tria, Baptismus, Confirmatio, & Ordo, sive quæ imprimunt characterem,

rem, id est, signum indelebile impressum animæ, remanens in beatis ad gloriam, id damnatis ad confusionem.

Quid si in ordinando sit aliquid omissum, quod pertinet ad solemnitatem tantum, & non ad essentiam, an non iterabitur ordo?

Non, sed id supplebitur tempore congruo.

Cur dicis & non ad essentiam sive substantiam?

Quia aliàs foret nullus ordo.

TITULUS XVII.

De Filiis Presbyterorum.

An illegitimi possint ordinari?

Non, nisi vel Monachi fiant, vel in congregatione canonica vivant sub quadam regula, vel sit cum illis dispensatum ad ordines suscipiendos.

Quare non aliàs?

Quia idem incontinentiæ vitium parentum timetur in iis juxta illud.

Sæpe solet similis filius esse patri.

Qui possunt dispensare?

Episcopus potest dispensare ad minores ordines, ad majores tantùm Papa dispensat.

An illegitimi possunt obtinere beneficia?

Minimè, nisi ad hæc quoque dispensatum sit.

Qui possunt dispensare?

Episcopus ad simplicia beneficia sacros ordines non requirentia potest dispensare; ad majores dignitates tantùm Papa.

An illegitimus ad beneficia dispensatus possit obtinere beneficium in Ecclesia, in quâ pater habet, aut habuit unum simile?

Minimè, multóque minus potest obtinere beneficium paternum mediatè vel immediatè, ne memoria paternæ incontinentiæ refricetur.

TITULUS XVIII.

De Servis non ordinandis.

An Servi possint ordinari?

Servi non possunt licitè ordinari propter dignitatem clericalem. Poterit tamen

nen validè ut ordo valeat, sufficit quod quis sit masculus baptizatus.

An servus cum domini licentia possit ordinari?

Omnino, & tunc statim fit liber.

Quid si fortè servus sit ordinatus non cum expressa domini licentia, sed domino sciente & non contradicente, an ritè sit ordinatus?

Omnino certè, statim enim fiet liber, quoniam qui tacet consentire videtur in libertatem.

TITULUS XIX.

De obligatis ad ratiocinia.

Qui dicuntur obligati ad ratiocinia?

Qui propter negotia aliena gesta tenentur ad rationes reddendas, quales sunt procuratores, actores.

An obligati ad ratiocinia possint ordinari?

Vel sunt obligati ad ratiocinia propter administrationem publicam, vel privatam: priori casu non possunt: ad posteriori possunt ordinari finitâ administratione, etsi rationes necdum reddiderint,

si non sit suspicio eis litem motum iri de dolo in administratione commisso. Quia actio de dolo famosa est, infamibus autem portæ non pateant dignitatum.

TITULUS XX.

De corpore vitiatis.

Qui dicuntur corpore vitiati?

Qui debilitate; deformitate; aut impotentia membri, vel totius corporis laborant.

An corpore vitiati possint ad ordines promoveri?

Si vitia sunt apparentia, quæ magnam deformitatem corporis vel faciei inducunt; ordinari non possunt, sive defectus culpâ vitiatorum, sive casu contigerint; quia hujusmodi vitia nata sunt parere scandalum; si verò sunt latentia (ut puta qui sunt castrati) non prohibentur, nisi forte seipsos castraverint. Quia castratio est homicidium inchoatum.

An monoculus possit ordinari?

Ita, si habeat oculum Canonis, id est, *sinistrum.*

Qua-

Quare vocatur Canonis?

Quia necessarius est ad legendum Canonem Missæ.

TITULUS XXI.

De Bigamis non ordinandis.

Quid est bigamia?

Est irregularitas impediens ordinationem ex defectu Sacramenti procedens.

Quotuplex est bigamia?

Triplex: propriè dicta, interpretativa, et similitudinaria.

Quid est bigamia propriè dicta?

Quam incurrit, qui cum duabus uxoribus matrimonium contraxit & consummavit.

Cur dicis consummavit?

Quia non sufficit bis nuptiàs contraxisse, nisi quoque utramque cognoverit carnaliter; quia bigamus propriè appellatur, qui *carnem* suam in plures divisit.

Cur ita contrahens & consummans non potest ordinari?

Quia in eo est defectus unitatis Sacramen-

menti, quod est inter Deum & Ecclesiam, Matrimonium enim inter Christum & Ecclesiam fuit unius sponsi cum unica sponsa, quod non potest à tali bigamo repræsentari.

Quid est bigamia interpretativa?

Cùm quis viduam, vel aliter extra matrimonium ab alio corruptam, ducit in uxorem.

Cur dicis viduam, vel aliter ab alio corruptam?

Quia qui viduam à priore viro non cognitam; aut qui eam, quam ante corruperat, uxorem ducit, non est bigamus ex frequenti DD. sententia.

Cur illa bigamia vocatur interpretativa?

Quia deest signaculum unionis naturæ humanæ ad Deum, quæ facta est in utero incorruptæ Virginis Mariæ per incarnationem Verbi.

Quid est bigamia similitudinaria?

In quam incidit is, qui post ordinis sacri susceptionem votive solemnis emissionem, matrimonium de facto contraxit & consummavit.

Cur talis dicitur similitudinaria?

Quia censetur contrahere duo quasi trimonia; in ordinis namque sacri sustione votive solemnis emissione quasi ddam matrimonium spirituale contra-, & jam *de facto* matrimonium carnaconsummat.

Cur dicis de facto?

Quia de jure non potest contrahere.

Quis est effectus bigamiæ?

Quod ab ordinum susceptione arcet, à susceptorum executione suspendit.

TITULUS XXII.

De Clericis peregrinis.

Qui dicuntur Clerici peregrini?

Qui in remotis regionibus sunt ordinati.

possint admitti ad administrationem sacri ministerii?

Minimè, nisi de eorum ordinatione lenè constet per litteras commendati-, vel per testes, vel alio modo. Conm autem Tridentinum statuit ut nul- Clericus peregrinus sine commendati-

tiis

tiis sui Ordinarii litteris, ab Episcopo ad divina celebranda admittatur (*a*).

(*a*) *Sess.* 23. *de Reform. cap.* 26.

TITULUS XXIII.

De Officio Archidiaconi.

Quis dicitur Archidiaconus?

Archidiaconus est vicarius proximus Episcopi, omnem curam in Ecclesiis & Clericis, atque ordinariam jurisdictionem habens.

Quod est officium Archidiaconi?

Providere, ut divina officia ritè exequantur, acolytum statuere, custodiam vasorum Ecclesiæ habere, de tertio in tertium annum Ecclesias visitare, &c. Unde oculus Episcopi nominatur.

TITULUS XXIV.

De officio Archipresbyteri.

Quis dicitur Archipresbyter?

Qui cæteris Presbyteris eminet, & *præest.*

Quo-

Quotuplex est Archipresbyter?

Duplex, Urbanus, & Foraneus, seu Ruralis: Urbanus est, qui præest Presbyteris alicujus Ecclesiæ Cathedralis, aut Collegiatæ. Ruralis, qui in minore Ecclesia tamquam Pastor præest reliquis Parochiarum Presbyteris.

Quod est officium Archipresbyteri Ruralis?

Non tantùm vulgi, sed & Presbyterorum curam gerere, & quâ unusquisque industriâ divinum opus exerceat, Episcopo renuntiare. Communiter vocari solet Decanus.

TITULUS XXV.

De officio Primicerii.

Quis dicitur Primicerius?

Cantor seu Præcentor, sic dictus, quia primus in cera erat descriptus, in qua psallentium ordo describi solebat.

Quod est ejus officium?

Inter alia, assignare ea, quæ alii debent canere.

TI-

TITULUS XXVI.

De officio Sacristæ.

Quis dicitur Sacrista?

Thesaurarius.

Quod est ejus officium?

Sacrorum vasorum, & totius thesauri Ecclesiastici custodiam habere.

TITULUS XXVII.

De officio Custodis.

Qui dicitur Custos?

Cui omnia, quæ Ecclesiæ sunt, custodienda committuntur.

Quod est ejus officium?

Custodire ea, quæ ipsi commissa sunt; lampades accendere, extinguere, horis canonicis signa tintinnabulorum pulsare.

TITULUS XXVIII.

De officio Vicarii.

Quis dicitur Vicarius?

Qui alterius vices gerit in divinis, vel jurisdictionalibus.

Quo-

Quotuplex est Vicarius?

Alius est in spiritualibus, alius in temporalibus, aut in utrisque simul, qualis Vicarius Generalis nominatur.

Quotuplex est Vicarius in spiritualibus, sive divinis?

Duplex: perpetuus, & temporalis. Vicarius perpetuus est, qui canonicè, & auctoritate Episcopi est institutus, & certam debet percipere portionem. Vicariæ perpetuæ habentur loco beneficii; adeoque nemo duas Vicarias perpetuas habere potest.

An Vicarius possit substituere Vicarium?

Minimè, cum Vicarius non habeat officium proprio nomine, sed alieno.

TITULUS XXIX.

De officio & potestate Judicis delegati.

Quis dicitur Judex delegatus?

Is, cui in una causa, vel pluribus potestas cognoscendi, & judicandi commissa est.

Qui possunt delegare?

Princeps tam sæcularis, quàm Eccle-

sias-

siasticus, Papa, Episcopus, Officiales, Episcopi: item Papæ & Principum delegati subdelegare possunt: at delegati inferiorum à Principe non possunt subdelegare.

Quibus delegatur?

Papa delegat iis, qui dignitatem, vel personatum habent, aut iis, qui sunt Canonici Ecclesiæ cathedralis, vel principales Officiales Episcopi: vel Religiosi prioratum conventualem habentes. At Episcopus & loci Ordinarius non tenetur hujusmodi personis delegare, cùm melius norit, qui sint aptiores ad causas decidendas, quàm Romanus Pontifex.

Quod est officium Judicis delegati?

Ut diligenter fines mandati, & præscriptam (si forté præscripta est) à delegante judicandi formam omnino servet.

Quæ est potestas delegati?

De causâ cognoscere, coercere, contumaces punire, & sententiam executioni intra annum mandare, saltem si sit Papæ vel Principis delegatus.

Quomodo finitur potestas delegati?

Finitur 1. Morte delegati, quod si tamen delegatio non sit facta personæ, sed dig-

dignitati, quæ numquam moritur, ad successorem devolvitur. 2. Finitur morte delegantis re adhuc integra. 3. Finitur lite finitâ & executione peracta.

Dicis: morte delegati expirare potestatem, sed quid si plures sint delegati, & unus tantùm eorum moriatur?

Uno eorum mortuo omnium potestas expirat.

TITULUS XXX.

De Officio Legati.

Quis dicitur Legatus Summi Pontificis?

Is, cui facta est commissio cujusdam negotii, quod Pontificis auctoritatem desiderat, in provincia administrandi.

Quotuplex est Legatus?

Triplex: natus, de latere, & constitutus.

Quis dicitur Legatus natus?

Qui est Legatus ratione suæ dignitatis: hujusmodi sunt Archiepiscopus Cantuariensis, Eboracensis, Rhemensis, & Pisanus.

Quis dicitur Legatus de latere?

Qui ex Collegio Cardinalium mittitur

Quotuplex est Judicis officium?

Duplex: nobile & mercenarium.

Quod est officium nobile?

Quod nulli subservit actioni, quodque judex nemine agente exercet, veluti dum restituit in integrum minorem, dum restituit natalibus, dum creat notarios.

Quod est officium mercenarium?

Quod actioni propositæ deservit, ut dum compellit venditorem agentem solvere usuras emptori.

TITULUS XXXIII.

De Majoritate & obedientia.

Quid est Majoritas?

Est prærogativa, quâ quis aliis est dignior & honorabilior.

Majoritas illa unde spectatur?

1 Ex dignitate & jurisdictione; sic Episcopus es major Archidiacono, Archidiaconus major est Archipresbytero. 2. Ex ordine; sic Archipresbyter major est Archidiacono. 3. Ex dignitate ordinantis; sic præfertur, cæteris paribus, qui à Pontifice est consecratus. 4. Ex tempore, sic cæ-

cæteris præfertur, qui dignitatem, vel beneficium diutius obtinuit.

TITULUS XXXIV.

De Tregua & pace.

Quid est tregua?

Sunt induciæ, & ab armis cessatio pro interim: pax est finis belli.

Quotuplex est Tregua?

Duplex: conventionalis, quæ ex conventione recipit formam; & canonica, eaque vel perpetua, vel temporalis.

TITULUS XXXV.

De Pactis.

An valeat pactum initum inter Religiosos & Rectorem Ecclesiæ, ut illi non sepeliant in Ecclesiis suis parochianos?

Omninò, quia sic reditur ad jus commune, quo Religiosis non licet alienos parochianos ad sepulturam liberè admittere.

An valeat pactum, ut beneficium Ecclesiasticum datâ pecuniâ resignetur?

Minimè, quia hoc est contra bonos mores, & est simonia.

TITULUS XXXVI.

De Transactionibus.

An valeat transactio de beneficio Ecclesiastico, jure patronatus, &c?

Non: cùm enim transactio fiat aliquo dato & accepto, id est, non gratuito, si de beneficio & re spirituali fieret, incideret in crimen simoniæ.

Quid igitur est Transactio?

Est rei dubiæ ratione litis, non gratuita remissio.

TITULUS XXXVII.

De Postulando.

Quid est postulare?

Postulare (quod est proprium Advocatorum officium) est desiderium suum vel amici apud eum, qui jurisdic-

tio-

tioni præest, proponere, vel alicujus desiderio contradicere; hoc enim facit Advocatus rei; istud verò proponit Advocatus actoris.

An Clerici possint postulare?

Clericis sacris ordinibus possunt postulare coram Ecclesiastico, non coram sæculari, nisi suam causam, aut Ecclesiæ, aut personarum miserabilium, vel conjunctarum prosequantur: similiter Clerici in minoribus non possunt postulare coram sæculari, si alantur ex stipendiis Ecclesiæ; quòd si tamen ex stipendiis Ecclesiæ non alantur, possunt ex postulatione victum sibi quærere, dummodo à causis criminalibus abstineant.

An Monachi?

Minimè, nec in foro sæculari, nec ecclesiastico, nisi fortè id monasterii utilitas exigat, accedatque simul Abbatis mandatum.

TITULUS XXXVIII.

De Procuratoribus.

Quid Procurator & quotuplex?

Procurator est, qui aliena negotia mandato Domini administrat in ju-

judicio vel extra. Hic ad negotia, ille Procurator ad lites vocatur.

Quomodo differt à defensore?

Quòd hic sine mandato rebus alienis spontè sese offerat in judicio.

TITULUS XXXIX.

De Syndico.

Quid est Syndicus?

Est Procurator ab Universitate aut Collegio constitutus. Dictus Pensionarius à pensione, quam recipit pro negotiis gerendis, differens in eo tantùm à Procuratore in specie, quod hic soleat privato constitui & domino, ille etiam ab administratione.

TITULUS XL.

De His quæ vi, metusve causa fiunt.

Quid est Vis, & quid est Metus?

Vis est majoris rei impetus, cui resisti non potet. Metus est instantis, vel futuri periculi justa mentis trepidatio. Dicitur justa, quia vani timo-

ris, nulla est excusatio. Alius est gravis cadens. in constantem virum. Alius levis, qui virum constantem à proposito dimovere non solet, adeoque non præbet materiam in integrum restitutionis.

TITULUS XLI.

De In integrum restitutione.

Quid est illa?

Est prioris status redintegratio à judice, Majoribus ratione doli, vis vel justi metus; aut Minoribus ratione ætatis, vel etiam Ecclesiæ intra quadriennium concedi solita.

TITULUS XLII.

De Alienatione judicii mutandi causâ facta.

Quid si res, vel possessio alienetur causâ mutandi Judicium futurum?

Is in cujus præjudicium id actum erit, in integrum restituetur, quia alteri per alterum iniqua conditio non est inferenda.

TITULUS XLIII.

De Arbitris.

Quid si quis causam in judicio ob nimios sumptus, aut litis protractionem controvertere non desideret?

Poterit sub stipulatione certae poenae, ut ejus motu à placitis non recedatur, uni, vel pluribus illam dirimendam committere per compromissum: qualis hinc dicitur arbiter compromissarius, ejusque arbitrium est redactum ad similitudinem judiciorum.

An ab ejus arbitrio appellari possit?

Nequaquam, quia non habet jurisdictionem, nisi fuerit arbiter juris.

Quis dicitur arbiter juris?

Qui in casum suspecti judicis dari solet. Arbiter arbitrator est, qui rem aliquam amicabiliter tamquam vir bonus & aequus definit, aut componit.

FINIS LIBRI PRIMI.

LI-



LIBER SECUNDUS.

TITULUS PRIMUS.

De Judiciis.

Quid est judicium, & quotuplex?

Judicium propriè est controversiæ apud judicem competentem legitima tractatio atque terminatio. Aliud dicitur *Ecclesiasticum*, quod coram judice Ecclesiastico peragitur; aliud *Sæculare*, quod coram judice laico inter personas sæculares agitatur. Aliud est *Civile*, in quo agitur principaliter ad commodum privatum. Aliud *Criminale*, in quo agitur ad commodum publicum. Aliud *Mixtum*, in quo & civiliter & criminaliter agitur.

TITULUS II.

De Foro competenti.

Quid est forum competens?

Est tribunal, cui reus subjicitur: nam regulariter actor sequi debet forum rei.

Qui-

Quibus modis illud sortimur?

Pluribus, videlicet ratione delicti, contractus, privilegii, rei sitæ, domicilii, prorogationis, si consensus in non suum judicem.

TITULUS III.

De Libelli oblatione.

Quid est Libellus?

Est brevis scriptura, in qua rei & actionis series ac forma certè & clarè per actorem coram judice exhibetur. Sententia enim debet esse conformis libello.

TITULUS IV.

De Mutuis petitionibus.

Quid est mutua petitio?

Est reconventio, quâ videlicet reus viso libello actoris, vicissim aliud ab eo petit, coram eodem judice, & in eodem judicio.

An Clericus non potest coram judice laico reconveniri?

Ita, quamvis coram eo conveniri nequeat, favorabilior enim est reconventio

con-

conventione, hæc enim instar actionis; ista verò instar exceptionis, seu defensionis coram eodem judice proponitur. Deinde æquum est, ut etiam quis patiatur judicem contra se, quem debet habere pro se, ut duæ lites uno judicio terminentur.

TITULUS V.

De Litis contestatione.

Quot sunt judicii partes?

Tres, à citatione ad litis contestationem, à litis contestatione ad conclusionem in causa, sive sententiam definitivam exclusivè, à sententia definitiva ad executionem.

Quæ est litis contestatio?

Est rei ad actoris, vel actoris ad rei petitionem principalem, coram judice contradictio animo contestandi litem.

Quis est effectus litis contestationis?

Quod rem inductam in judicio tam reali, quàm personali actione reddat litigiosam, ut nequidem alienari possit.

TITULUS VI.

Ut lite non contestata non procedatur ad testium receptionem, vel ad sententiam definitivam.

Quia litis contestatio est totius judicii fundamentum. Si tamen timeatur de testium morte, putà si senes aut valetudinarii sint, aut aliàs diu abfuturi, poterit ad testium receptionem procedi propter necessitatem.

TITULUS VII.

De Juramento calumniæ.

Quid est juramentum calumniæ?

Est, quo uterque collitigantium jurat se bona fide, & non calumniandi, id est, vexandi animo in judicio contendere.

TITULUS VIII.

De Dilationibus.

Quid est Dilatio, & quotuplex?

Dilatio in genere est justum temporis intervallum, quod vel à lege, vel

à

à judice, vel conventione partium, actori, vel reo conceditur. Dividiturque in *legalem*, quæ à lege absque ministerio judicis, vel litigantium conceditur; *judicialem*, quam Judex dat, vel ex permissione legis, vel ex præcepto; & *conventionalem*, quæ ex conventione partium competit.

TITULUS IX.

De Feriis.

Quæ dicuntur Feriæ?

Dies, quibus jurisdictionis exercitium & forensis strepitus quiescit.

TITULUS X.

De Ordine cognitionum.

Quid si actio criminalis & civilis concurrant, quænam præferenda?

Criminalis, si sit principaliter intentata, excludet civilem. *Facbin. lib.* 4. *c.* 2. nisi civilis præjudicet criminali, vel è contra.

TI-

TITULUS XI.

De Plus petitionibus.

Quot modis plus petitur?

R*e*, si quatuor debeantur, & petantur quinque. *Tempore*, si ante diem, vel impletam conditionem obligationi vel pactioni adjectam. *Loco*, qui id, quod certo loco stipulatus est, in alio dari petit. *Causa*, cum aliquid in genere vel alternativè debetur, res in specie, vel unum præcisè petitur.

TITULUS XII.

De causa proprietatis & possessionis.

Causa proprietatis est, in qua principaliter agitur de rei controversæ proprietate, seu dominio, aut alio jure extra possessionem, vel quasi possessionem.

Causa possessionis est, in qua principaliter agitur de retinenda, vel recuperanda, vel adipiscenda possessione.

TITULUS XIII.

De Restitutione spoliatorum.

Cui & adversus quem competit hoc beneficium, quod spoliatus ante omnia sit restituendus?

Ei, qui vi dejectus est, etsi Dominus non fuerit; uti si sit usufructuarius: modò tamen possederit, cum fuit dejectus item hæredi ac ejus successori, non quidem adversus quemlibet possessorem, qui non spoliavit, sed adversus eum qui per se, aut per alium spoliavit, idque in odium violentiæ.

TITULUS XIV.

De Dolo & Contumacia.

Quid est contumacia?

ERga Judicem, seu superiorem inobedientia. Contumax hic censetur, qui tribus edictis simplicibus, vel uno peremptorio vocatus, non comparet, contra quem actor mittetur in possessionem rei servandæ gratia.

TITULUS XV.

De eo, qui mittitur in possessionem rei servandæ causa.

An missio hæc locum non habet in beneficialibus?

Nequaquam, ut evitetur vitiosus ingressus ad beneficia, quæ sine institutione Canonicâ licitè obtineri non possunt.

TITULUS XVI.

Ut lite pendente nihil innovetur.

An pendente lite nihil possit innovari?

Minimè. Ne quidem Principi, vel summo Pontifici supplicare licet; imò impetrata rescripta, nullam litis mentionem facientia tamquam subreptitia destruuntur. *Cap.* 1. *& fin. h. t.*

TITULUS XVII.

De Sequestratione, &c.

Quis dicitur Sequester?

Apud quem plures eandem rem, de qua controversia est, deposuerunt: dictus ab eo, quod occurrenti, aut quasi

si *sequenti* eos, qui contendunt, committitur. *L.* 110. *ff. de V. S.*

TITULUS XVIII.

De Confessis.

An post confessionem ferenda sit sententia?

Si ordine judiciario procedatur; definitiva necessaria est: cum ordo præcipuus judicii, præcipuumque momentum in sententia versetur: sin autem de plano cognoscat judex, sententia post confessionem opus non est.

Quotuplex est Confessio?

Alia *judicialis* nuncupatur, alia *extrajudicialis*: effectus autem *judicialis* est, ut confessus pro judicatu habeatur, ita ut nec revocari possit, nisi à minore impetrata in integrum restitutione.

TITULUS XIX.

De Probationibus.

Quid est Probatio?

Est judici rei dubiæ, apud eum controversæ, per legitimos modos facta ostensio.

Quomodo dividitur?

In *artificialem*, quæ arte intellectus veluti ratiocinationibus & Syllogismis; & *inartificialem*, quæ nudis Testibus & Instrumentis conficitur: *in plenam*, quæ plenam fidem judici facit: & *semiplenam*. Item in *judicialem*, quæ in judicio post litem contestatam; & in *extrajudicialem*, quæ fit extra.

TITULUS XX.

De Testibus & Attestationibus.

Qui dicuntur Testes?

Qui ad alicujus rei fidem faciendam assumuntur.

Quot testes requiruntur?

Duo ut minimum: licet tamen quædam causæ plures quàm duos desiderent; unius tamen testimonio res decidi nequit. Unde dictum unius, dictum nullius.

TITULUS XXI.

De Testibus cogendis.

An testes cogi possint ad testimonium?

Ita, quia publicè expedit veritatem revelari. Excipiuntur tamen liberi,

con-

contra parentes, liberti, contra patronos, & alii.

TITULUS XXII.

De Fide Instrumentorum.

Quid est Instrumentum?

Est scriptura, quæ fidem rei quam continet judici facit: dividitur in *publicum*, quod per tabellionem ritè confectum est, de cujus fide dubitare non licet: & *privatum*, quod ab homine privato, nulla auctoritate publica conscriptum, quod chirographum quandoque vocatur.

TITULUS XXIII.

De Præsumptionibus.

Quid est Præsumptio?

Est conjectura probabilis, ex certo signo proveniens ad astruendam fidem. Alia *hominis*, quæ ab homine: Alia *juris*, quæ à jure formatur. Hominis, alia *levis*, alia *probabilis*: Juris alia *juris*, & *de jure*. Id est, quæ à Jure vertitur in veritatem, nullam admittens

in contrarium probationem.

Quandonam allegari potest haec praesumptio?

Quovis tempore allegari posse, verius est sive in oblatione libelli, &c. sive post conclusionem in causa.

TITULUS XXIV.

De Jurejurando.

Quid est Juramentum?

Est invocatio divini Numinis in testimonium, ad fidem faciendam, vel promissionem firmandam.

Quae requiruntur ut sit licitum, & quotuplex?

Tres comites, Veritas, Judicium, & Justitia: aliud est assertorium, promissorium, & comminatorium.

Quando Juramentum confirmat contractum?

Actus jure naturae nullus, vel irritabilis, item immediatè, & principaliter prohibitus ob favorem publicum, bonum communitatis non confirmatur juramento: secus dicendum si principaliter, & immediatè ob privatam utilita-

tem sit nullius, cum cuique permissum sit favori suo renuntiare.

TITULUS XXV.

De Exceptionibus.

Quid est Exceptio, & quotuplex?

Est actionis, vel intentionis exclusio. Alia est *facti*, quæ nullo jure agentis intentionem excludit: alia *juris*, qua reus excludit actoris jus ipso jure competens. Juris exceptiones, aliæ *dilatoriæ*, quæ principalem causam, & actionem non perimunt; sed tantum ad tempus differunt: aliæ *peremptoriæ*, quæ actionem perimunt & elidunt, ut exceptio doli mali.

TITULUS XXVI.

De Præscriptionibus.

Quid est Præscriptio?

Prout confunditur cum usucapione. Est adjectio dominii per continuationem possessionis temporis lege definiti. Aliàs est exceptio, qua jus alterius lapsu temporis à lege definiti extinctum esse ostenditur.

An mala fides auctoris noceat successori?

Resp. Nocere universali, ut hæredi, & immediato: particulari, ut donatario legatario, aut mediato minimè.

TITULUS XXVII.

De Sententia, & re judicata.

Quid est Sententia?

Est pronuntiatio, seu definitio Judicis. Res judicata est ipsa causa controversa, quæ finem Judicis pronuntiatione accepit, absolutione, vel condemnatione.

Deffinitiva est, quæ causam principalem definit ac terminat absolvendo, vel condemnando. *Interlocutoria*, quæ inter principium, & finem causæ super aliquo incidenti profertur.

Quid est effectus definitivæ sententiæ?

Est litem, & judicis potestatem finire inter partes, & jus facere prætextu instrumentorum repertorum non rescindi.

TITULUS XXVIII.

De Appellationibus.

Quid est Appellatio?

ab inferiore judice ad superiorem facta provocatio ratione gravami- lati, vel inferendi: alia judicialis, ut ntentia, alia extrajudicialis, veluti lectione.

Cur non dicis gradatim?

iia licet de jure civili non possit io judice inferiore immediatè appel- ad supremum Principem, poterit n de Jure Canonico ab infimo im- atè ad Pontificem appellari, quia cum omni inferiore, ille non item d jurisdictionem concurrit.

nam appellare potest, & à quorum ... sententiis?

ilibet gravatus ab omnibus judici- ecognoscentibus superiorem, à qua- que sententia; & casibus non pro- is à jure sive civilibus, sive crimi- ius. *C.* 5. *h. t.*

An à delegato ad delegantem?

nnino, non tamen à Vicario Epis- co-

copi ad Episcopum, quia habet eandem cum eo jurisdictionem.

Qui dicantur Apostoli, & quotuplices?

Sunt literæ dimissoriæ, quas judex à quo appellatum est, transmittit ad judicem, ad quem appellatum est, in testimonium, & fidem appellationis interpositæ. Alii dimissorii, Reverentiales, & Refutatorii.

Quid est Relatio?

Est Judicis inferioris de jure dubitantis ad superiorem transmissa consultatio, ut sciat, quid in judicando sequendum sit.

TITULUS XXIX.

De Peregrinantibus.

Quis hic peregrinans dicitur?

Qui ad Sedem Apostolicam, aut ad limina Apostolorum, sive ex causa peregrinationis, sive ex alia proficiscitur.

TITULUS XXX.

De Confirmatione utili, vel inutili.

Si Pontifex ex certa scientia sententiam, privilegium, aut quid aliud con-

confirmet, ratum manet: secus si per ob, vel subreptionem concessa fuerit confirmatio, *cap. Ad nostram h. t.* unde, & in rescriptis Canonicis hæc clausula subintelligitur: *si preces veritate nitantur*. In civilibus autem necessario est exprimenda.

FINIS LIBRI SECUNDI.



LIBER TERTIUS.

TITULUS PRIMUS.

De Vita & honestate Clericorum.

Quia Clerici sunt populus electus Dei, omnium oculis ad imitationem expositus, necesse est, ut cautiùs sese gerant, quia non omne quod licet, honestum est.

Quæ sunt Regulæ Clericorum?

Hæ scilicet, ne artes ignominiosas, vel officium macellaniorum, aut tabernariorum exerceant; ne mimis, histrionibus, & joculatoribus operam impen-

dant,

dant, aut dictent; ne proferant sententiam sanguinis; ne exerceant artem chirurgicam, quæ adustionem aut incisionem inducit, &c. utantur vestibus decentibus; ne comam, aut barbam nutriant; &c. ut à crapula se abstineant.

TITULUS II.

De Cohabitatióne Clericorum, & mulierum.

Prohibentur, si agatur de his, de quibus potest esse suspicio.

An non possit Clericus habitare cum matre, aut avia?

Potest, cum de his naturale fœdus nihil permittat fœdi criminis suspicari. Hæc tamen cohabitatio prohiberetur, quando esset suspecta.

Quomodo puniuntur Clerici concubinarii, & fornicarii?

Notorii ab ordinibus ipso jure suspensi sunt. Imò si ab Episcopo moniti, concubinas non deserant, à beneficio suspenduntur, & correctione non sequuta, deponuntur.

Ti-

TITULUS III.

De Clericis conjugatis.

An Clerici possint matrimonium contrahere?

Clerici in sacris ordinibus non possunt, at in minoribus constituti possunt.

An in minoribus contrahentes retineant sua privilegia?

Si cum unica eaque virgine contrahant, tonsuramque gerant & habitum clericalem, retinent privilegia fori, & canonis *Si quis suadente* 17. *q.* 4.

Quid fori privilegium?

Est quo eximitur à sæculari jurisdictione.

An non possit Clericus huic privilegio renuntiare?

Minimè, quia non est ipsi in particulari concessum, sed ut est membrum totius ordinis Clericorum, cui præjudicium inferre non potest: quod omnes tangit, ab omnibus debet approbari. *R.* 29. *in* 6.

TITULUS IV.

De Clericis non residentibus.

An Clerici in suis præbendis debeant residere?

Omnino, ne refert an beneficium sit tenue.

An Clerici non residentes privari possint suis beneficiis?

Omnino, nisi quis absit ob justas causas.

Quæ sunt justæ causæ?

Si quis sit in famulatu Papæ, vel sui Episcopi: si quis sit infirmus: si quis concessa facultate in probato gymnasio studeat, &c.

An absentes ex justa causa, recipiant fructus beneficii?

Recipiunt grossos: sive annuos proventus.

An etiam quotidianas distributiones?

Non, quia non dantur, nisi præsentibus in divinis. Hic tamen qui abest propter morbum recipit, si fuerit solitus interesse.

TITULUS V.

De Præbendis & Dignitatibus.

Quid est beneficium?

Est jus perpetuum percipiendi fructus ratione ministerii ecclesiastici. Ad quod tria requiruntur, officium, jus fructus percipiendi ex bonis ecclesiasticis, & ipsi fructus.

Quomodo differt ab officio?

Quod officium sit ipsum ministerium ecclesiasticum, v. gr. Missæ celebratio.

Quomodo differt Canonicatus à Præbenda?

Quod præbenda consistit in fructuum perceptione, uti nomen indicat, cum sit dicta, quod portionem Clericis præbeat. Canonica autem, in jure præstandi officium divinum, habendi locum in choro, in Capitulo etiam circa fructuum receptionem, quæ tamen primo vacans assumpto in Canonicum debetur. *Cap. Relatum h. t. Glossa in cap.* 2. *de Conc. Præb. in* 6. unde Canonicatus potest esse sine Præbenda.

Quotuplex est Beneficium?

Multiplex: aliud est sæculare, aliud

re-

regulare, aliud simplex, aliud non simplex. Item aliud patrimoniale, aliud non patrimoniale, item juris patronatus, & non juris patronatus.

Quid est Beneficium sæculare, quid regulare?

Regulare, quod pro Regularibus (ut Abbatia): *Sæculare*, quod pro sæcularibus est institutum. Unde regula: Regularia Regularibus, Sæcularia Sæcularibus sunt conferenda.

Quid est Beneficium non simplex?

Quod præter ministerium Ecclesiasticum habet vel jurisdictionem, ut Papatus, Episcopatus, &c. Et hoc beneficium vocatur dignitas: vel præeminentiam, ut Cantoria, beneficium Sacristæ, Thesaurarius, &c. & hoc beneficium vocatur personatus, vel curam habet animarum, & dicitur curatum.

Quid est Beneficium simplex?

Quod neque jurisdictionem, neque præeminentiam, aut administrationem singularem habet.

Quid est Beneficium monoculum?

Quod Prælatus unicum habet conferendum. Non monoculum è contra.

Quæ-

Quomodo acquiritur beneficium?

Per electionem, postulationem, & translationem subsecuta confirmatione, & per collationem.

Quotuplex est collatio?

Duplex: *libera*, & non *libera*. *Libera*, (quæ & propriè collatio dicitur) est quando collator unicuique ut vult, potest conferre beneficia: non *libera*, quando fit ad mandatum Pontificis, vel ad præsentationem patroni.

Qui habet jus beneficia liberè conferendi.

Papa, Episcopus interdum cum consensu Capituli, Præpositus, vel Decanus Ecclesiæ collegiatæ: verum his consuetudo plerumque derogat.

An habenti beneficium possit aliud conferri?

Jure scripto plures dignitates, vel parochiales Ecclesiæ eidem non possunt conferri, nisi ex dispensatione S. Pontificis, qui potest dispensare cum sublimibus, & literatis viris: neque potest quis retinere plura beneficia simplicia sine dispensatione: nisi eorum alterum non sufficeret decenti statui Clerici, neque personalem residentiam requiret.

F An

An non possit quis per alium residere?

Non; quia R. potest quis per alium, quod potest per se ipsum, exceptionem patitur, quando est electa industria personæ.

Quid sunt beneficia incompatibilia primi ordinis?

Quorum uno obtento vacat ipso jure alterum. Quod si tantum sit dimittendum, erunt incompatibilia secundi ordinis.

TITULUS VI.

De Clerico ægrotante.

An Clericus ægrotans privari potest beneficiis?

Minimè, quia afflictis afflictio non est addenda. Imo neque privandus fructibus, & distributionibus quotidianis, ut diximus suprà. Quia imputare non debet ei, per quem non stat si non facit, quod per eum est faciendum. *R.* 41. *in* 6.

An Clerico ægrotanti detur Coadjutor?

Prælatis, aut Ecclesiarum Pastoribus perpetuo morbo laborantibus datur coadjutor; qui interim curam animarum habeat assignata ei certa ex fructibus portione,

TITULUS VII.

De Institutionibus.

Quid est institutio?

Hoc loco est collatio illa non libera quæ fit ad præsentationem patroni.

Ad quem pertinet?

Ad Episcopum, vel ad ejus Vicarium, & ad Capitulum sede vacante.

Cur dixisti institutio hoc loco?

Quia variè sumitur, modo pro deductione in beneficii possessionem, modo pro qualibet provisione Ecclesiastica. Ut in hac R. beneficium Ecclesiasticum non potest licitè sine institutione canonica obtineri. *R.* 1. *in* 6.

TITULUS VIII.

De Concessione Præbendæ, & Ecclesiæ non vacantis.

An valeat collatio facta de beneficio viventis?

Minimè, quia talis collatio votum, captandæ mortis alterius inducit.

TITULUS IX.

Ne Sede vacante aliquid innovetur.

An Episcopo mortuo, sive vacante, Capitulum possit conferre beneficia spectantia ad liberam collationem Episcopi?

Minimè, poterit tamen Clericos instituere, & conferre beneficia, quæ ad Episcopum, & Capitulum simul pertinebant.

In quem sede vacante, transit jurisdictio Episcopalis?

In Capitulum.

TITULUS X.

De his quæ fiunt à Prælato sine consensu Capituli.

An Episcopus possit omnia facere pro suo libitu?

Non, nam in aliquibus requiritur Capituli consensus: ut in alienatione rei Ecclesiasticæ; aliquando consilium Capituli ut in institutionibus.

Quid refert an consensus, an consilium?

Plurimum: nam quando requiritur con-

sen-

sensus, Episcopus nihil aliud facere potest, quàm quòd permittit major, & sanior pars capituli; at ubi requiritur consilium, satis est rem communicasse, & aliorum sententiam implorasse.

TITULUS XI.

De his quæ fiant à majore parte Capituli.

Quæ dicitur major pars, & quæ sanior?

Major, quæ excedit personarum numerum; *Sanior*, quæ majori zelo, & dignitate præstat.

Quid si minor pars rationabili de causa moveatur, an possit contradicere, & appellare?

Potest.

TITULUS XII.

Ut Ecclesiastica beneficia sine diminutione conferantur.

An beneficia debeant conferri sine diminutione?

Maximè, nam collator non potest partem proventuum sibi servare. *Cap. unic. h. t.*

TITULUS XIII.

De Rebus Ecclesiæ alienandis, vel non.

Quid est alienatio?

Est actus, quo dominium, vel jus reale transfertur.

An res Ecclesiæ possint alienari?

Non possunt, nisi justa causa subsit, & insuper solemnitates requisitæ adhibeantur.

Quid est justa causa?

Urgens necessitas, vel evidens Ecclesiæ utilitas.

Quæ solemnitates requiruntur?

Si alienatio fiat per Episcopum, requiritur tractatus, & consensus Capituli: si ab Abbate minore Episcopo, Episcopi diœcesis consensus: si vero alienatio fiat rei Parochialis, requiritur Episcopi, & Presbyteri consensus.

Quid si alienatione legitimè factà sit Ecclesia læsa, an possit restitui in integrum?

Potest.

TITULUS XIV.

De Præcariis.

Quid est contractus Præcariarum?

Quo res in perpetuum, vel ad vitam, vel ad longum tempus conceditur ea lege, ut renovetur de quinquennio ad quinquennium, secundum antiquam consuetudinem.

Quomodo differt à præcario?

Quod per præcarium utenda concedatur, quandiu patitur qui concessit; unde præcarium ad nutum concedentis potest revocari; at præcaria non item.

Quando res non gratis, sed sub annua pensione conceditur, quomodo differt ab emphyteusi?

Quod in emphyteusi non fiat ista renovatio de quinquennio in quinquennium.

TITULUS XV.

De Commmodato.

Quid est Commodatum?

Est contractus rei initus, quo res gratis datur utenda, ut expleto usu eadem restituatur.

TITULUS XVI.

De Deposito.

An Ecclesia teneatur de re apud Clericum deposita?

Non nisi depositum fuerit conversum in Ecclesiæ utilitatem, quia delictum personæ non debet in detrimentum Ecclesiæ redundare. *R.* 76. *in* 61.

TITULUS XVII.

De Emptione.

An emptio rescindatur, si læsio ultra dimidium intervenerit.

Omninò, neque tantum ex dispositione juris civilis, sed etiam Juris Canonici, nisi maluerit læsor contractum ad justam æqualitatem revocari. In alternativis enim electio est debitoris. *R.* 70. *in* 6.

TITULUS XVIII.

De Locato.

l quot annos res Ecclesiæ possunt locari?
'x constitutione Pauli Veneti non pos-
sunt locari ultra triennium, verum
ec constitutio vix est recepta, & passim
servatur, ut locari possint usque ad
vem annos: neque in tali locatione
quiruntur solemnitates requisitæ in
ienationibus rerum Ecclesiasticarum.

TITULUS XIX.

De Rerum permutatione.

'n permissa sit beneficiorum permutatio?
'i quis propria sua auctoritate benefi-
cium suum cum altero permutare
ısus fuerit, beneficio privabitur: valet
ımen permutatio accedente superioris
ıctoritate: & si collatio ad alium specta-
erit, ejus etiam requiritur consensus.
*Quid si Episcopus beneficia ex causa per-
mutationis resignata aliis conferat, an valebit collatio?*
Non, ne concessione juris utentibus
ma-

maximè circa spiritualia illudatur.

TITULUS XX.

De Feudis.

Quid est Feudum?

Est concessio rei immobilis, vel æqu
pollentis sub fidelitate per accipie
tem, id est, vassallum præstanda.

Quæ ejus divisio?

Aliud est novum, aliud antiquum s
paternum: *Novum* est, quod adhuc exi
tit apud primum acquirentem: & si h
primus acquirens moriatur sine libe
redit ad dominum. *Paternum* est, du
est in persona filiorum aut nepotum a
quirentis, vassallo moriente sine liber
transit ad agnatos.

TITULUS XXI.

De Pignoribus.

An Clericus possit rem Ecclesiæ dare pignori?

Nequaquam, cum res aliena pigno
dari non possit.

TITULUS XXII.

De Fidejussoribus.

An Religiosi possint fidejubere?

Non, nisi ab Abbate & conventu mandatum habeant.

An Clerici?

Possunt, licet eis prohibeantur frequentes fidejussiones.

TITULUS XXIII.

De Solutionibus.

An Prælatus successor teneatur solvere debita prædecessoris?

Non, nisi fuerint contracta pro Ecclesiæ necessitate.

An Clericus debitor habeat beneficium competentiæ?

Omnino, & eatenus tenetur solvere quatenus facere potest. *Cap. Obduardus, h. t.*

TITULUS XXIV.

De Donationibus.

An Episcopi, aliique Prælati res Ecclesiæ donare possint?

Non, cùm Prælati ecclesiasticarum rerum sint administratores, non domini.

An non ergo plus tribuatur Prælato, quàm Procuratori?

Plus tribuitur in eo, quòd Prælatus exiguas donationes, quæ Ecclesiæ non sunt graves, facere possit; quæ vero exiguæ dici debebant, spectandum ex consuetudine.

TITULUS XXV.

De Peculio Clericorum.

Quid est peculium?

Est parva pecunia servo, vel filiofamilias à domino, vel patre concessa, seorsim à rationibus domini, vel patris.

Quotuplex est peculium?

Quadruplex, castrense, quasi castrense, adventitium, profectitium. *Castrense*, quod ra-

ratione militiæ: *quasi castrense*, quod ex advocatura; proventibus Sacerdotiorum acquiritur: *profectitium*, quod ex re patris: *adventitium*, quod aliunde advenit, quàm ex militia armata, togata vel clericali.

TITULUS XXVI.

De Testamentis.

An Clericus testari possit?

De iis potest, quæ non habuit intuitu Ecclesiæ, sed aliunde.

Cur potius potest de iis disponere inter vivos, quam post mortem?

Ne fiant avari juxta illud: Da tua, dum tua sunt, post mortem tua non sunt.

TITULUS XXVII.

De Successionibus ab intestato.

Clerico mortuo ab intestato, ad quos bona deferuntur?

Bona acquisita intuitu Ecclesiæ deferuntur ad Ecclesiam: bona aliundè acquisita deferuntur ad parentes, & consanguineos Clerici: si nullos reliqueris

consanguineos, deferuntur ad Ecclesiam.

TITULUS XXVIII.

De Sepulturis.

Ubi quis sepelitur?

Ubi electa est sepultura, cùm quis sepelitur extra propriam Parochiam, Ecclesiæ Parochiali debetur portio ex illis, quæ reliquit Ecclesiæ, in qua elegit sepulturam, & hæc portio vocatur Canonica.

Quid si quis non elegerit sepulturam?

Sepelitur in Ecclesia Parochiali, vel in sepulchro majorum, vel si sit uxor, in sepulchro mariti mortui: si plures maritos habuerit, sequetur sepulturam ultimi mariti.

An filius fam. possit eligere sepulturam?

Potest, nisi sit infans, quia in ea ætate velle & nolle non habet.

An Religiosi?

Minimè, quia eorum voluntas est in arce Prælati, sed apud propria monasteria sunt tumulandi.

TI-

TITULUS XXIX.

De Parochiis.

Quid est Parochia?

Est locus in quo degit populus uni Ecclesiæ deputatus certis limitibus constitutus.

Unde dicta Parochia?

Dicta ἀπὸ τοῦ παρέχειν, quod est præbere, largiri, quia ibi sit Sacramentorum distributio.

TITULUS XXX.

De Decimis, Primitiis, & Oblationibus.

Quid sunt Decimæ?

Sunt decima, vel quota pars bonorum, licitè quæsitorum Deo debita.

Quot sunt species Decimarum?

Tres: prædiales, personales, mixtæ: *Prædiales* sunt, quæ ex prædiorum fructibus: *Personales*, quæ ex negotiatione: *Mixtæ*, quæ ex pecorum fœtu debentur.

Quo

Quomodo sunt solvendæ?

Integrè sine diminutione: & præ
les quidem sunt solvendæ sumptu nor
ducto: personales verò sumptu dedu

An Laici habeant jus petendi, &
sidendi decimas?

Non, nisi sint infeudatæ ante Co
lium Lateranense.

Quæ dicuntur Primitiæ?

Primi fructus agrorum, & arbor
qui Deo immediatè offeruntur in gra
rum actionem pro frugibus terræ, & c
de cedunt in usum ministrorum.

Quæ dicuntur Oblationes?

Omnia, quæ Deo offeruntur, ut a
fructus, pecuniæ, ornamenta.

TITULUS XXXI.

De Regularibus, & Transeuntibu
ad Religionem.

Quis dicitur Regularis, vel Religiosu

Qui per emissionem professionis,
paternam devotionem sequenti
tihabitione, Prælati imperio sub

aliqua speciali à Romano Pontifice approbata regula subjicitur. Dixi ratihabitione, &c. quia ratihabitionem retrotrahi, & mandato non est dubium comparari. *R. 10. in 6.*

Quæ ætatis anno permissa est professio?

Jure Pontificio masculis anno 14. fœminis anno 12. At ex *Concilio Tridentino* professio sive à masculis sive à fœminis, non potest fieri ante annum 16. expletum.

TITULUS XXXII.

De Conversione Conjugatorum.

An Conjux altero invito, possit transire ad Religionem?

Omninò, si copula non intercesserit: aliàs secùs.

An Conjux remanens in sæculo, possit inire secundas nuptias?

Omninò, si copula non intercesserit, aliàs deberet alter conjux etiam transire ad Religionem, vel continentiam vovere.

TITULUS XXXIII.

De Conversione fidelium.

Quid si conjux infidelis ad fidem convertatur?

Vide infra Tit. 19. Lib. 4. q. 2.

TITULUS XXXIV.

De Voto, & voti redemptione.

Quid est Votum?

Est promissio saltem interior Deo facta de bono scilicet meliori. Unde licet bonum sit nubere, votum tamen nubendi non ligat; quia Deo gratius est se continere, quam matrimonium inire.

Quotuplex est?

Aliud *simplex*, aliud *solemne*: item aliud *personale*, aliud *reale*, aliud *mixtum*. *Solemne* est, quod susceptioni sacri Ordinis, vel professioni religionis approbatæ est conjunctum: *Simplex*, dum alias simpliciter voves vitam cælibem, religionem, jejunium, &c. *Reale*, quo res aliqua externa: *Personale*, quo factum:

Mix-

Mixtum, quo utrumque promittitur, ut peregrinatio cum oblatione.

TITULUS XXXV.

De Statu Monachorum, & Canonicorum Regularium.

Quid status hic?

Est vitæ conditio, qua quis alteri devincitur, veluti professus per votum triplex Castitatis, Paupertatis, & Obedientiæ vitæ religiosæ adstringitur, quàm aliqui solitarii, & contemplativam à cœtu hominum remoti degunt, dicti *Monachi*. Alii inter homines dicti *Regulares*.

TITULUS XXXVI.

De Religiosis Domibus ut Episcopo sint subjectæ.

Quid venit nomine Domus Religiosæ?

Quilibet locus pius, etiam Monasterium. Propriè tamen dicuntur domus Religiosæ Xenodochia, Nozomia, Berotrophia, & similia.

TITULUS XXXVII.

De Capellis Monachorum.

Quid sunt Capellæ Monachorum?

Sunt Ecclesiæ quædam, in quibus Monachi administrant Sacramenta.

An etiam Episcopo sunt subjectæ sicuti domus Religiosæ?

Omninò: nisi hac jurisdictione speciali privilegio, vel legitima præscriptione probentur exemptæ.

TITULUS XXXVIII.

De Jure Patronatus.

Quomodo differt à patronatu civili?

Quòd sit jus illud, quod habent patroni in liberos ex manumissione: at Jus Patronatus hic, est jus præsentandi Clericum ad Beneficium vacans.

Quotuplex est?

Duplex: Ecclesiasticum, & Laicum. *Ecclesiasticum* est, quod quis acquisiv ex eo, quod fundaverit, vel dotaver

Ecclesiam ex bonis Ecclesiasticis. *Laicum* autem, quod quis Ecclesiam fundaverit ex bonis sæcularibus.

Quomodo ergo acquiritur?

Fundatione, constructione, & dotatione Ecclesiæ. Item donatione, emptione alicujus rei, cui patronatus annexus est. Propterea pretium augere, foret simonia.

Intra quod tempus debet Patronus præsentare?

Laicus, intra quatuor menses: Ecclesiasticus, intra sex.

Patrono mortuo, ad quos devolvitur jus patronatus?

Ad hæredes non in capita, sed in stirpes.

TITULUS XXXIX.

De Censibus, Exactionibus, & Procurationibus.

Quid est Census?

Census hic est quædam pensio, quæ de proventibus Ecclesiæ solvitur.

Quotupliciter Census sumitur?

Dupliciter: primo enim sumitur generaliter, cùm aliquid annuatim præstatur: secundò strictè pro eo quod solvitur Ecclesiæ, aut Episcopo in signum subjectionis, quale Cathedraticum dici solet.

Quid est exactio?

Est vectigal, portorium, pedagium, quod Regibus tribuitur.

Quid est Procuratio?

Est exhibitio sumptuum necessariorum facta illis, qui Ecclesias solemni jure visitant.

TITULUS XL.

De Consecratione Ecclesiæ, & Altaris.

Quare Ecclesia indotata non consecratur?

Quia sine dote non potest per Ministros divino cultui satisfieri.

An Ecclesia polluta indigeat nova consecratione?

R. Non, sed tantum benedictione; polluitur autem per homicidium voluntarium & injuriosum. Per injuriosam sanguinis effusionem, voluntariam & publi-

cam

cam seminis emissionem. Per sepulturam excommunicati, hæretici, & infidelis.

TITULUS XLI.

De Celebratione Missarum.

An Missa uno die semel tantum sit celebranda?

Omninò, nisi aliud exegerit necessitas. Excipitur dies Natalis Domini, in quo tres Missæ dicuntur.

TITULUS XLII.

De Baptismo, & ejus effectu.

An infantes infidelium invitis parentibus sint baptizandi?

Non, nisi alter parentum consenserit, qui hac in parte tam favorabili præfertur recusanti. *Cap. Sicut, de Judæis.*

Quare non aliter?

Quia cum parentes ad fidem non sint cogendi inviti, non debent juribus paternis privari.

TITULUS XLIII.

De Presbytero non baptizato.

An ordinatio ejus subsistat?

Neg. quia Baptismus est janua omnium Sacramentorum.

TITULUS XLIV.

De Custodia Eucharistiæ.

Quomodo Eucharistia custodienda.

Mundè, reverenter, & devotè, ut prompta ejus sit copia viaticum in necessitate ministrandi. Servandum & Chrisma, id est Sacramentum Extremæ-Unctionis, ut & hujus sit copia ad infirmos cum lumine deferendi.

TITULUS XLV.

De Reliquiis, & Veneratione SS.

Quinam pro Sanctis venerandi?

Qui Apostolica auctoritate approbati, & in numerum Sanctorum relati; seu canonizati. Juxta illud *Psalm.* 150. Laudate Dominum in Sanctis ejus.

TITULUS XLVI.

De Observatione Jejuniorum.

Quid est Jejunium?

Est major quædam victus parsimonia, & abstinentia, quam communis temperantiæ regula postulet ab Ecclesia certis temporibus ad refrænanda vitia instituta. Ad quam Christi fideles omnes sub gravi obligatione ab anno 21. (nisi corporis debilitas, aut labor excuset) usque ad annum 60. astringuntur.

TITULUS XLVII.

De Purificatione post partum.

An adhuc hodie mulier post partum sit ab ingressu Ecclesiæ arcenda?

Minimè, nam lex antiqua statuens; quod pariens masculum usque ad 40. fœminam vero usque ad 80. dies ab Ecclesia arceretur, adventu Legis Novæ sicut quoad reliqua cæremonialia & judicialia sua evanuit.

TITULUS XLVIII.

De Ecclesiis ædificandis, vel reparandis.

Quinam ad hoc obligantur?

Qui destructioni causam dederunt, vel si vetustate lapsa sit Ecclesia tenebitur fabrica; quæ si non sufficiat, Clerici, & alii fructus Ecclesiæ percipientes, quatenus superest sustentationi eorum. Si nec hi sufficiant, ad contributionem cogantur Parochiani, quorum gratia S. Ædes instaurantur, nisi inopes fuerint, tum enim referenda foret Ecclesia ad Matricem, vel maxime vicinam. *Trid. Sess.* 21. *cap.* 7. *de Refor.* Sed hæc intelligenda sunt, nisi aliud habeat consuetudo, quia in actus humanos influit mos regionis.

TITULUS XLIX.

De Immunitate Ecclesiarum.

Quid est Immunitas, & quotuplex?

Est liberatio quædam ob onere, aut munere alicui commisso. Est triplex, *realis*, personalis, localis. *Realis est*, quâ

res

res Ecclesiasticæ liberæ sunt, & exemptæ à tributis & oneribus, quæ à sæcularibus ponuntur. *Personalis*, quâ Ecclesiasticæ personæ à sæculari jurisdictione eximuntur. *Localis*, quæ Ecclesiis, & Religiosis locis tribuitur. Hac immunitate gaudent delinquentes, qui ad Ecclesias confugiunt, nisi reperiantur prohibiti, ut publici latrones, nocturni agrorum depopulatores, & qui in Ecclesia delinquunt.

TITULUS L.

Ne Clerici, vel Monachi sæcularibus negotiis se immisceant.

Quæ ratio probibitionis?

Quia cum sint electi in sortem Dei, eorum est divinis vacare, ne vel ministerii negligentiam admittant, vel æternæ felicitatis jacturam. Culpa enim est immiscere se rei, ad se non pertinenti. *R.* 15. *in* 6.

FINIS LIBRI TERTII.



LIBER QUARTUS.

TITULUS PRIMUS.

De Sponsalibus, & Matrimoniis.

Quid sunt sponsalia?

Futurarum nuptiarum promissio, & repromissio. Jure tamen Pontificio ipsummet matrimonium non infrequenter denotant. *Cap. pen. h. t.*

Quotuplicia ergo sunt sponsalia?

Duplicia: sponsalia de futuro, & sponsalia de præsenti. *Sponsalia de futuro* sunt jam definita, quæ fiant per verba futuri temporis, v. g. *Ego te ducam in uxorem. Sponsalia de præsenti* sunt ipsum matrimonium, quæ fiunt per verba, exprimentia præsentem consensum conjugalem: v. g. *Ego te accipio in uxorem.*

Quid sentis de similibus verbis: Volo contrahere tecum, habere te in uxorem?

Contrahuntur sponsalia non matrimonium: si tamen dicantur cum intentione

se obligandi. Sed per hæc verba: *Non habeo aliam uxorem nisi te*, nec matrimonium, nec sponsalia contrahuntur. *Covar. de Sponsal. part. 2. cap.* 4. §. 1. quia pura negativa nihil ponit.

An qui contraxit sponsalia, possit compelli matrimonium contrahere?

Probabile est compelli posse à judice, qui tamen perspectis circumstantiis si ex coacto matrimonio gravia mala futura videat, non amplius coget.

Quomodo dissolvi possunt sponsalia?

Mutuo contrahentium consensu, propter nimiam absentiam sponsi, per religionis professionem, propter supervenientem gravem, & incurabilem morbum, propter supervenientem notabilem sponsæ deformitatem, & similem causam, quæ si ab initio adfuisset, non promisisset.

TITULUS II.

De Desponsatione impuberum.

An impubes possit contrahere sponsalia?

Impubes minor septennio non potest, quia requiritur consensus: ante septen-

tennium autem pueri non habent usum rationis, quod si tamen haberent usum rationis, probabile est (etsi multi dissentiant) posse contrahere sponsalia. Impubes vero major septennio potest, utique si habeat usum rationis.

An impuberes contrahentes sponsalia possint ab iis resilire ante pubertatem?

Non possunt ne quidem communi consensu: at vero ubi ambo ad pubertatem pervenerint.

Quid si eorum alter altero prior ad pubertatem pervenerit?

Multi putant posse, imò debere statim resilire: alii docent debere alterius pubertatem expectare.

Quid si impubes contraxerit sponsalia cum pubere?

Pubes non poterit: impubes autem poterit resilire, ubi ad pubertatem pervenerit.

An impuberes possint contrahère matrimonium?

Non: & si per verba de præsenti matri-

trimonium contraxerint, ille contractus resolvitur in sponsalia de futuro, nempe si contraxerint coram Parocho, & testibus, post Concil. Trident. Cæterum impuberes de Jure Canon. matrimonium contrahere possunt, si malitia suppleat ætatem, quia melius est nubere, quàm uri. Imò nonnumquam pro bono pacis, ut puta inter Principes ad eos continendos in amicitia, matrimonium infra pubertatem contrahi permittitur.

TITULUS III.

De Clandestina Desponsatione.

An matrimonium clandestinè contractum valeat?

Valet Jure Canonico, quamvis ita contrahentes peccent. At hodie ex Concilio Trident. est nullum sine præsentia proprii Parochi, vel alterius Sacerdotis de ipsius Parochi seu Ordinarii licentiâ; & duorum, aut trium testium. Hæc tamen Concilii prohibitio non est extendenda ad sponsalia de futuro.

TI-

TITULUS IV.

De Sponsa duorum.

An una possit simul habere duos maritos?

Non, sicut è contra unus maritus non potest habere duas uxores: nam eodem tempore duas uxores habens viventes fit infamis. *L. Neminem, C. de Incertis nuptiis.*

Quid si ergo nubat duobus per verba de præsenti?

Prior desponsatio posteriori prævalet, & secunda nulla est ipso jure.

TITULUS V.

De Conditionibus appositis.

Quæ dicuntur Sponsalia conditionata?

Cum quis pollicetur se nuptias contracturum, si quid tale fiat, vel contigerit, *v. g.* Si dederit decem; si pater consenserit; &c.

Quotuplex est conditio?

Triplex: vel honesta & possibilis, veluti *si pater consentiat*; vel turpis, veluti *si Titium occideris*; vel impossibilis, vel-

veluti si mare ebiberis.

Quis est effectus conditionis sponsalibus appositæ?

Conditio honesta & possibilis matrimonium, sicut & reliquos contractus, atque hæredum institutiones, & legata suspendit. At conditio impossibilis & turpis, licet vitiet cæteros contractus, non vitiat tamen matrimonium, sed pro non adjecta habetur, si modò non repugnet substantiæ, aut bono, aut fidei ipsius.

Assignes mihi conditiones sic repugnantes?

Bono repugnat, si dicam: *Volo tecum contrahere, si generationem prolis evites*: repugnat substantiæ, si dicam: *Tecum contraho, donec inveniam ditiorem*: repugnat fidei matrimonii, si dicam: *Tecum contraho, si pro quæstu adulterandam te tradas.*

TITULUS VI.

Qui Clerici, vel voventes, &c.

An votum solemne, vel simplex castitatis impediat & dirimat matrimonium?

Simplex votum impedit tantùm matrimonium contrahi; votum solemne

TITULUS XI.

De Cognatione spirituali.

Quotuplex est cognatio?

Triplex: spiritualis, legalis, & sanguinis, seu naturalis.

Unde oritur spiritualis Cognatio?

Ex Baptismo, & Confirmatione.

Quotuplex est Cognatio spiritualis?

Duplex: paternitas, compaternitas: post Concilium Tridentinum paternitas contrahitur inter baptizantem, & baptizatum, inter suscipientem seu patrinum & susceptum. Compaternitas oritur inter suscipientem ex baptismo, & parentem baptizati. Quod dixi de cognatione ex baptismo, item dic de cognatione orta ex confirmatione.

An inter patrinum, & patrinam contrahitur compaternitas?

Minimè.

Quis est effectus cognationis spiritualis?

Quod dirimat contractum; verùm nota hodie ex Concil. Trid. compaternitatem, quæ oriebatur inter uxorem patrini, & parentes baptizati, & etiam fraternitatem

tem esse sublatam, adeoque baptizatus cum filia patrini rectè contrahit matrimonium. *Sess. 24. de Reform. matrimonii, cap. 2.*

TITULUS XII.

De Cognatione legali.

Quid Cognatio legalis?

Est propinquitas, quæ per adoptionem, vel arrogationem contrahitur.

Quotuplex est cognatio legalis?

Triplex: Prima est, *ascendentium*, aut *descendentium*, adoptantis, scilicet & adoptati, quæ nec adoptationis dissolutione, nec emancipatione tollitur. Secunda est quasi *transversalis*, scilicet inter adoptatum, & filios naturales adoptantis, quæ adoptionis dissolutione & emancipatione tollitur. Tertia est illa, quæ contrahitur inter uxorem adoptati & adoptantem; inter adoptatum & adoptantis uxorem, quæ perpetuò durat, sicut prima.

Quis est effectus cognationis legalis?

Quod quælibet impediat, & dirimat matrimonium, proveniens, scilicet ex arrogatione sive ex adoptione perfecta, quia de altera id minus est probabile.

TITULUS XIII.

De eo, qui cognovit consanguineam uxoris suæ, vel sponsæ.

Quid est affinitas?

Propinquitas personarum proveniens ex carnali copula. Porrò hoc titulo agitur de affinitate contracta per illicitam; *tit. seq. de affinitate contracta per copulam licitam.*

Quis est effectus hujus affinitatis?

Distingue, an supervenit sponsalibus, vel nuptiis contractis; an vero affinitas fuerit contracta ante matrimonium: priori casu sponsalia de futuro dirimuntur, non tamen dirimitur matrimonium contractum: posteriori casu dirimitur matrimonium, & impeditur contrahendum usque ad 4. gradum Jure Canonico: nam posteà Concilium Tridentinum limitavit impedimentum affinitatis ex illicita copula, usque ad primum dumtaxat, & secundum gradum, non ulteriùs. Unde in tertio, vel in quarto affinitatis non dirimitur matrimonium contractum, sed ne quidem impeditur contrahendum, ut posteà

Pius

Pius V. Pontifex Motu propio declaravit, ut refert Navar. *in Manual. confess. cap. 22. 24. in fin. Dixi modò affinitatem sepervenientem non dirimere matrimonium contractum*, v. g. Si quis uxoris suæ consanguineam cognoscat.

An non ergo ille punietur?

Omninò: nam ab uxore propria non poterit debitum petere, licet uxori petenti non possit denegare, ne innocens privetur jure suo. Deinde uxore sua defuncta, non permittetur aliam uxorem ducere; quamvis, si duxerit, sit validum matrimonium; ita tamen, ut non possit debitum exigere. *Sess. 24. de Reformat. matrimonii.*

Quid est publica honestas?

Est impedimentum hodiè oriens ex sponsalibus validis de futuro, vel de præsenti nondum consummatis. Dicitur *honestas*, quia minimè honestum est personas, inter quas hoc impedimentum intervenit, nuptias inire.

Quousque dirimit matrimonium, dum oritur ex sponsalibus de futuro?

Resp. Non ultra primum gradum, juxta *Conc. Trid. Sess. 24. c. 3. de Reform.*

TITULUS XIV.

De Consanguinitate, & Affinitate.

Quotuplex est Consanguinitas?

Triplex: juxta linearum ordinem, & diversitatem, ascendentium scilicet, descendentium, & collateralium. Ascendentes sunt parentes, & qui nos genuerunt, ut pater, avus, proavus: descendentes sunt liberi, & qui ex iis geniti, ut filius, nepos, pronepos: collaterales sunt, qui communem nobiscum propinquum parentem habent, ut frater, patruus, patruelis.

An inter consanguineos sint nuptiæ prohibitæ?

In linea recta, hoc est inter ascendentes, & descendentes prohibitæ sunt in infinitum, utroque jure. In linea collaterali Jure Civili usque ad quartum gradum exclusivè: at Jure Canonico prohibitæ sunt usque ad quartum gradum inclusivè.

Quomodo computantur gradus utroque jure?

In linea recta singulæ personæ singulos

los constituunt gradus, una persona dempta; in hac numeratione conveniunt Jus Canonicum, & Civile: at in collaterali linea discrepant; nam Jure Civili singulæ personæ dempto stipite, singulos gradus constituunt; Jure vero Canonico, duæ semper personæ lineæ æqualis numerantur, & illo jure tantum spectatur, quantum quis à communi parente distet: unde Jure Canonico frater à fratre tantùm distat uno gradu, eo quod uterque à communi parente uno tantùm gradu distet. Unde tres regulæ: *Prima est*: In linea recta tot sunt gradus, quot sunt personæ stipite dempto, v. g. à me ad abavum quinque numerantur personæ; ego, pater, avus, proavus, abavus; hinc igitur inter me & abavum quatuor gradus recensebantur, quia una persona demitur. *Secunda regula*: In linea collaterali tot gradibus collaterales distant inter se, quot gradibus à stipite is distat, qui ex iis remotior est, v. g. filius consobrini tertio gradu distat à communi stipite, quia quatuor personæ numerantur, patruelis secundo gradu; ergo consobrini filius, & patruelis tertio gra-

dum, sed non dirimere contractum, juxta illud: *Multa prohibentur, quæ tamen acta tenent.*

TITULUS XVII.

Qui filii sint legitimi.

Qui ex justo matrimonio nati: ex illicito coitu illegitimi sunt.

An illegitimi legitimari possint?

Possunt, vel per subsequens matrimonium, vel per rescriptum Principis, vel per oblationem curiæ. Nota, legitimatos per subsequens matrimonium omninò legitimatos censeri; adeò ut hujusmodi legitimati fieri possint Episcopi; & omnia jura consequi, quæ consequuntur ii, qui ex justo matrimonio nati sunt.

TITULUS XVIII.

Qui matrimonium accusare possunt, vel contra illud testari.

An omnes accusare possint matrimonium?

Minimè: neque enim admittuntur illi, qui tempore factarum denuntia-

tio-

ex maleficio aut fascinatione, aut aliter contingit.

An conjugi asserenti se, aut conjugem impotentem statim credendum?

Minimè; sed demum præmissis solemnitatibus è jure hac in re requisitis, & cognitâ causâ in judicio, separatio decerni debet.

Quid si post sententiam deprehendatur revera potens, qui judicis sententiâ fuit impotens declaratus, an stabitur rei judicatæ?

Minimè; nam sententia de matrimonio lata numquam transit in rem judicatam: ideoque cogitur ad priorem conjugem redire.

TITULUS XVI.

De Matrimonio contracto contra interdictum Ecclesiæ.

Quid est interdictum Ecclesiæ?

Est prohibitio matrimonialis; Ecclesia namque certis temporibus nuptias prohibet.

Quis effectus interdicti?

Matrimonium impedire contrahen-

dum,

Cur dicis & consummatum?

Quia fidelium ratum tantùm, per hoc enim conjuges non fiunt una caro, adeoque non repræsentat individuam unionem Christi cum Ecclesia, potest per ingressum religionis dissolvi.

Quandonam post matrimonium ratum & consummatum fieri potest divortium quoad thorum?

Si justa subsit causa, ut est 1. Adulterium ab altero commissum. 2. Hæresis, in quam alter conjugum lapsus est. 3. Sævitia conjugis, &c. Hoc nota, si quis petat divortium ob adulterium, non debere ipsum commisisse, quia patria delicta mutua compensatione tolluntur.

TITULUS XX.

De Donatione inter virum & uxorem, & dote post divortium restituenda.

Divortio facto, apud quem dos, & donatio propter nuptias debet remanere?

Vel factum est quoad vinculum, vel quoad thorum: priori dotem suam uxor recipit, & insuper mediam conquestuum partem: posteriori casu, ille qui

qui peccavit, punitur amissione suæ dotis, vel donationis. Unde si uxor peccavit, amittet dotem; si maritus, uxor lucrabitur donationem propter nuptias.

TITULUS XXI.

De Secundis nuptiis.

An secundæ, seu iteratæ nuptiæ sint permissæ, & extra pœnas civiles?

Omninò, damnato jam pridem errore Origenis secundas nuptias prohibitas asserentis.

An sint benedicendæ?

Minimè, ne propter frequentiam benedictionum in eadem persona res in vilipendium abeat.

FINIS LIBRI QUARTI.



LIBER QUINTUS.

TITULUS PRIMUS.

De Accusationibus, inquisitionibus, & denuntiationibus.

Quomodo publica judicia instituuntur?

Vel per accusationem, per denuntiationem, vel per inquisitionem.

Quid est accusatio?

Est criminis apud judicem præcedente inscriptione per accusatorem facta delatio.

Quid est inscriptio?

Est obligatio in scriptis facta, qua accusator se obligat ad talionem, sive eandem pœnam, si non probaverit, quam reus debuisset pati, si probasset.

Quid est denuntiatio?

Cùm, nulla præcedente inscriptione, sed tantùm charitativa monitione ad judicis notitiam crimen deducitur. Unde denuntiator differt ab accusatore, quod hic debeat se inscribere, non item ille.

I. I *Quid*

Quid est inquisitio?

Cùm præcedenti diffamatione, ac quasi denuntiante fama de crimine judex inquirit.

An laici possint accusare Clericos?

Non, quia illis oppido infesti sunt, nisi suam, suorumque injuriam prosequantur; quibusdam etiam articulis, & criminibus exceptis.

TITULUS II.

De Calumniatoribus.

Quis dicitur Calumniator hic?

Qui falsò crimina intendit.

TITULUS III.

De Simonia.

Quid est Simonia?

Est studiosa voluntas emendi, vel vendendi rem spiritualem, vel spirituali annexam pretio temporali, veluti si quis det pecunias, aut serviat Episcopo, ut obliget eum ad beneficium conferendum.

Quot modis quid annectetur rei spirituali?

Tribus, sc. per modum antecedentis, concomitantis, & consequentis. 1. Modo patronatus. 2. Labor Sacramentorum. 3. Beneficium rei spirituali annexum est.

Quotuplex est Simonia?

Triplex: realis, mentalis, conventionalis. *Realis* est, quando rei traditio præcedente conventione utrinque intervenit, veluti si tibi dedi pecunias, & mihi vicissim dedisti præbendam. *Mentalis* est, quando vitium simoniæ in mente remansit, & nulla præcessit conventio, ut si velim servire Episcopo, ut obligem illum ad conferendum mihi beneficium. *Conventionalis* est, quando nihil datum est, sed tantùm facta conventio de dando.

Quomodo Simoniaci puniuntur?

Quod sint infames, & altaris ministerio expellendi, à suorum ordinum executione suspensi, quod per electiones, confirmationes, provisiones, seu quasvis alias dispositiones, quas simoniaca labe fieri contigerit, nullum omninò jus cuiquam acquiratur, sed omnium quæ perceperit, restitutione sub animæ periculo sit adstrictus. Item quod omnes qui simoniam com-

miserint, excommunicationi obnoxii sint, nec absolvì ab alio queant, quàm à Pontifice: quod etiam post criminis sui absolutionem ad idem beneficium, circa quod simonia commissa fuit, sint incapaces, licet aliud possint acceptare.

An quilibet etiam criminosi admittantur ad accusationem hujus criminis?

Omninò, & etiam meretrix & servus contra dominum.

TITULUS IV.

Ne Prælati vices suas, vel Ecclesias sub annuo censu concedant.

An Prælati jurisdictionem suam, vel Ecclesiam sub annua pensione cedere possint?

Qui pecuniam dederit, ut spiritualem jurisdictionem exerceat, officio privandus est, simoniacus efficitur. *c.* 3. *h. t.* Aliter tamen judicandum de fructibus Ecclesiarum, seu beneficiorum, quæ nullam rei spiritualis rationem habent. *cap. ultim. h. t.*

TITULUS V.

De Magistris, & ne aliquid exigatur pro licentia docendi.

An licitum pecuniam accipere pro labore docendi?

Affirmo, cùm hic nullus actus spiritualis sit, sed politicus.

TITULUS VI.

De Judæis, & Saracenis.

Qui Judæi, & Saraceni?

Qui Testamentum Vetus recipiunt, & ad literam observant. Illis pueros circumcidere, ritus exercere permittitur, oneribus publicis gravantur, ad nullos honores evehuntur. Saraceni nec Vetus, nec Novum Testamentum recipiunt. Perez *Lib.* 1. *Cod. tit.* 9.

TITULUS VII.

De Hæreticis.

Quid Hæresis, ejusque pœna?

Est error contra fidem ejus, qui eam professus est in baptismo, cum pertinacia.

Est-

Estque pœna à jure statuta excommunicatio, infamia, beneficiorum incapacitas, bonorum confiscatio, ita tamen ut confiscationis executio non ante fiat, quàm per sententiam Judicis Ecclesiastici de hæresi condemnati sint. *Cap. Secund.* 10. *de Hæret.*

TITULUS VIII.

De Schismaticis, & ordinatis ab eis.

Schismatici unde dicti?

A schismate, id est, scissura, quod ab unitate Ecclesiæ Catholicæ, quæ est in Romano Pontifice, tamquam in capite se præscindunt, sive à membris non expressè à capite, sive ab utroque.

TITULUS IX.

De Apostatis & reiterantibus Baptismum.

Quisnam dicitur Apostata?

Qui recedit ab eo, quod jure, ratione officii, aut status tenetur. Estque triplex, à fide, obedientia, seu lege Dei, & religione.

Quæ pœnæ baptismum reiterantium?

Scienter & absolutè rebaptizati, est irregularitas rebaptizantis, si factum sit publicum impedimentum; ne ascendere possit ad ordines altiores. *Cap. Lit. de Apostat.* pœna civilis utriusque mors. *L. 2. cap. Ne sanctum baptisma reiteretur.*

TITULUS X.

De His, qui filios occiderunt.

Qui sunt patricidæ?

Qui patrem, matrem, fratrem, sororem, filium, filiam, dolo malo occiderunt.

TITULUS XI.

De Infantibus & languidis expositis.

Patria potestate indignus est pater, qui filium absque necessitate exponit; si verò eo invito, vel ignorante ab extraneo expositus fuerit filius, eum pater sibi jure vindicavit.

TITULUS XII.

De Homicidio voluntario vel casuali.

Quid est homicidium, & quotuplex?

Est hominis occisio ab homine. Aliud est *voluntarium*, aliud *casuale*, aliud necessarium: *Necessarium*, quod fit ad necessariam sui defensionem, idque vel legis auctoritate, vel superioris, jus gladii habentis; vel cum moderamine inculpatae tutelae; vel ad injuriam & vim arcendam, quando alia evadendi via non est. *Cap.* 2. *q.* 1.

Ad quid tenetur homicida?

Pro vita praecisè, aut hominis liberi membro, ad nihil tenetur, ita Molina *tom.* 4. *disp.* 14. Sed tantum ad injuriae & damni reparationem.

TITULUS XIII.

De Torneamentis.

Quid est Torneamenta?

Induciae quaedam, vel nundinae ac feriae, in quibus milites ex condicto convenientes ad ostensionem virium suarum te-

merè congredi & aggredi solent. Navar. *in Manual. cap.* 15. *n.* 18.

TITULUS XIV.

De Clericis pugnantibus in duello.

Quodnam dicitur duellum?

Duellum, quasi duorum bellum, aliud *solemne* est, quod fit habita loci securitate, adhibitis, ut vocant patrinis, & aliis provocatoriis præmissis solemnitatibus. Aliud *privatum*, quod absque his fit, ex condicto tamen, & statuto tempore ac loco contento, ut à rixa differat.

An solis Clericis prohibeatur hoc duellum?

Non, sed & laicis, ne propter propensionem, quæ in hominibus est, ad ostentandum robur, & famam acquirendam multiplicentur duella, & fortissimi, qui ad patriæ necessitates essent referendi, passim occumberent, excommunicantur patrini, & pugnantes infamiam incurrunt, ut homicidæ puniuntur. *Trid. Sess.* 25. *cap.* 15. *de Reform.*

TI-

TITULUS XV.

De Sagittariis.

Quis Sagittarius dicitur?

Qui sagittas ex arcu non majori solum, sed & minori emittit, cujus usus in bello fuit.

TITULUS XVI.

De Adulterio & Stupro.

Quid adulterium, & qui de eo accusari possint?

Adulterium est de jure Canonico alieni thori violatio. Accusari de eo possunt omnes quacumque dignitate præditi. *Lib.* 38. §. *ultim. h. t.*

Quæ pœna adulteri?

Jure divino *Deuteron.* 22. erat lapidatio. Civili nulla olim fuit certa, postea relegatione puniebantur. Justinianus tandem pœnam gladii irrogari constituit. *L. Transig. C. de Transact.* Hodie mutata est in pecuniariam, si abfuerit violentia.

Quo-

Quomodo committitur stuprum, & ejus pœna?

Proprie committitur, cùm quis virgini, vel viduæ honestè viventi, vim intulerit. Ejus pœna jure civile in personis honestis publicatio dimidiæ partis bonorum: in humilibus coercitio corporis cum relegatione. §. *Item, lex Jul. de Adult.* Ex præscripta vero SS. CC. compellitur is, qui stuprum virgini intulit eam dotare, & in uxorem ducere.

Quomodo incestus committitur?

Per concubinatum cum consanguinea, vel affine, cum qua interdictæ sunt nuptiæ. Pœna eadem est, quæ adulterii.

TITULUS XVII.

De Raptoribus, incendariis, & violatoribus Ecclesiarum.

Quid raptus, ejusque pœna?

Est puellæ seu mulieris abductio, vi vel gravi facta ex domicilio in alium locum, matrimonii causa. Pœna raptoris & præbentium illi consilium, auxilium, vel favorem, statuta est à Trid. excommunicatio latæ setentiæ, infamia perpetua, in-

incapacitas dignitatum, privatio gradus clericalis, obligatio dotandi raptam juxta judicis arbitrium, sive raptor eam ducat, sive non: aliæ pœnæ præter excommunicationem non videntur incurri ante judicis sententiam.

Quid est rapina?

Est violentia & manifesta rei alienæ invito domino contrectatio. Si raptor manifestus fuerit vel Ecclesiæ violator, ipso jure subjacet excommunicationi. Ecclesiæ vel rerum Ecclesiasticarum incendarii ultra damni restitutionem excommunicati sunt ipso facto: si rerum profanarum, excommunicandi, factaque denuntiatione ab Ecclesia non ab alio absolvi possunt, quam à Summo Pontifice. *Cap.* 19. *inf. de Sentent. excommun.*

TITULUS XVIII.

De Furtis.

Quid est Furtum?

Est occulta contractio rei alienæ, domino rationabiliter invito.

An fur ad sacros ordines possit promoveri?

Non, nisi sit occultus, & pœnitentiam peregerit. *Cap. ult. h. t.*

TI-

TITULUS XIX.

De Usuris.

Quid est Usura?

Usura hic est lucrum ultra sortem ratione mutui proveniens; prohibita est Jure Divino, Naturali, & Canonico.

An usura non sit permissa pro captivis redimendis, vel eleemosynis dandis?

Minimè, nec enim sunt facienda mala, ut eveniant bona.

Quomodo dividitur?

In mentalem, & conventionalem, in formalem, & virtualem.

Quid Usura mentalis?

Ubi nulla pactione interveniente mutuator ea intentione dat mutuum, ut ex eo lucrum recipiat. *Conventionalis* est, quando expressa, vel tacita lucri pactio intercessit, veluti si mutuans expressè paciscatur de usuris sibi præstandis, vel moneat mutuatarium suæ consuetudinis.

Quid est usura formalis, quid palliata?

Formalis est, quæ ex vero, & forma-

li mutuo recipitur: *Virtualis*, seu *Palliata* est, quæ ex mutuo virtuali percipitur; veluti si propter dilationem solutionis res carius vendatur.

Quæ est pœna Usurariorum?

Manifestorum est infamia, & exclusio à communione altaris, nec ad oblationes offerendas, nec ad sepulturam Ecclesiasticam, nec ad confessionem peccatorum, nisi satisfecerint re ipsa, vel idoneam & legitimam cautionem dederint, admittuntur, deinde testamenti irrita sunt, nisi vel satisfecerint, vel legitimè caverint.

Quænam est differentia inter Usurarium mentalem, & Simoniacum mentalem?

Quod ille teneatur ad restitutionem, hic verè minimè. Quia non habet conscientiam, quod teneat alienum sicut ille.

Quid est Fœnus nauticum?

Cum mutuans aliquid recipit ultra sortem ex eo, quod in se recipiat periculum pecuniæ per mare, vel terras longinquas trajiciendæ.

TITULUS XX.

De Crimine falsi.

Falsitas est veritatis immutatio. In crimen hoc incidit, si dolo malo admittatur, alias minimè. *Cap. Hom.* 21.*q.* 2.

TITULUS XXI.

De Sortilegiis.

Qui Sortilegi dicantur?

Qui id, quod latet eventu alicujus rei explorant, ut qui ad deprehendendum furem astrolabium movent. Aliæ sunt sortes divisoriæ, & licitæ; aliæ consultoriæ, aliæ divinatoriæ, & illicitæ: juxta illud D. Pauli: *Nolo autem vos socios fieri dæmoniorum.* 1. *ad Corinth.* 10.

TITULUS XXII.

De Collusione detegenda.

Quid est Collusio?

Est inter actorem & reum latens & fraudulenta conventio, quare Cleri-

ricus colludens suo beneficio privatur. Quia publicè expedit crimina puniri.

TITULUS XXIII.

De Delictis puerorum.

Infantes doli capaces & minores, licet ob lubricum animi judicium non tam graviter peccent, putà furando, mentiendo, hominem enecando, nihilominus pœnam omninò non effugiunt, sed ætatis ratio est habenda.

TITULUS XXIV.

De Clerico venatore.

An Clericis venari liceat?

Clericus sine strepitu & clamore venari potest, alias si cum voluptate sæculari, ita venationi deditus sit, ut cultum divinum negligat, abstinere debet. Nam, ut Hieronymus ait: *Nullum in sacris scripturis invenimus sanctum venatorem.*

TI-

TITULUS XXV.

De Clerico percussore.

Quis dicitur Percussor?

Qui sæpè alium percutit, & monitus non desistit, deponitur; non enim severitate, comminatione, aut potestate, sed charitate subditos prælati corrigere debent.

TITULUS XXVI.

De Maledicis.

Qui Maledici?

Maledici sunt quasi maledicentes, & si in Deum, Deiparam Virginem, & Sanctos admissa sit blasphemia, jure Canonico solemni pœnitentia coercentur, jure Civili ultimo supplicio plectuntur. Covar. *ad cap. Quamvis, de Pact. in 6.*

TITULUS XXVII.

De Clerico excommunicato, deposito, vel interdicto ministrante.

Quæ pœna Clerici excommunicati celebrantis?

Episcopus, Presbyter, aut Diaconus justè pro certis criminibus ministerium sibi dudum interdictum attrectans, excommunicatur. *Cap. h. t.*

TITULUS XXVIII.

De Clerico non ordinato ministrante.

Quæ pœna illius?

Non legitimè ordinatus divinum aliquod officium ad sacrum ordinem pertinens præsumens exercere, deponendus est, & amplius non ordinandus. Si non Clericus talia exerceat, judicis arbitrio puniendus erit.

TITULUS XXIX.

De Clerico per saltum promoto.

Quis dicitur per saltum promotus?

Qui prætermisso ordine inferiore ad superiorem ascendit, per sententiam ei executio ordinis interdicenda est, donec congruo tempore ordo prætermissus suppleatur, & cum eo pœnitentia imposita dispensetur ab Episcopo, ut in ordine suscepto ministret.

TITULUS XXX.

De eo, qui furtivè ordinem suscepit.

Quis censetur Ordinem furtivè suscipere?

Qui sine ordinatione, & Episcopi consensu, vel sine examine omninò necessario in multitudinem Ordinandorum subrepsit, tam ab usu recepti ordinis, quàm ab aliis imposterum recipiendis, submovetur, quandiu Ordinario videbitur, nisi his verbis utatur Episcopus: *Non intendimus ordinare non exami-*

minatos, & approbatos, tum ordo non subsistit; omnia enim Sacramenta tribus perficiuntur. Rebus tamquam materia, verbis tamquam forma, & intentione Ministri.

TITULUS XXXI.

De Excessibus Prælatorum, & subditorum.

Quid est excessus?

Delictum vel vitium, quo quis modum, quem servare injuncti muneris ratio requirit; transgreditur.

TITULUS XXXII.

De novi operis nunciatione.

Quid nunciare, & quid novum opus?

Nunciare significat hic prohibere; & novum opus nunciat, qui denunciat vicino ne ædificet. Novum autem opus facit, qui pristinam operis faciem mutat.

TITULUS XXXIII.

De Privilegiis & excessibus privilegiorum.

Quid Privilegium, ejusdemque excessus?

Privilegium quasi privata lex dicitur, quia alicui particulari pesonæ, aut rei, aut communitati, seu corpori, vel loco, speciale jus concedit: unde Regula, Privilegium personale, personam sequitur, & extinguitur cum persona. Reale, cum re transit. Excessus est privilegii abusus.

TITULUS XXXIV.

De Purgatione Canonica.

Vocatur Canonica, eo quod à SS. Canonibus inventa & prodita sit, ut jurejurando reus innocentiam suam testetur.

Quibus hic purgatio indicitur?

Non cuilibet reo; sed tantummodo fidedigno, quem verisimile est, non facilè pejeraturum.

TITULUS XXXV.

De Purgatione vulgari.

Quid purgatio vulgaris & an licita?

Est, quam vulgus invenit & sequitur, ut cùm aquæ frigidæ, candentis ferri, vel singularis certaminis subit quis judicium. Hæc per sacros Canones damnatur, quod per eam Deus tentari videatur, *cap. Quæritur* 22. *q.* 2.

TITULUS XXXVI.

De Injuriis & Damno dato.

Quibus modis sumitur injuria, & quomodo hic?

Generaliter dicitur omne id, quod non jure fit, specialiter tripliciter sumitur. 1. Pro contumelia, quæ à contemnendo dicitur. 2. Pro injustitia, ut dum judex iniquus judicat. Hic autem sumitur pro contumelia, quæ re & verbis fit.

Quale damnum reparari debet?

Damnum omne, etiam levissima culpa datum probato crimine, sive per se, sive per alium, sive Clericus sit, sive Laicus, reparari oportet.

TITULUS XXXVII.

De Pœnis.

Cur inventæ sunt pœnæ?

Ut earum metu homines in officiis suis contineantur.

TITULUS XXXVIII.

De Pœnitentiis & Remissionibus.

Quotuplex & quid Pœnitentia?

Duplex; interna & externa. Illa vocatur pœnitentiæ virtus, quæ peccatum tamquam Dei offensam detestatur; hæc Sacramentum novæ legis, in quo peccator contritus, integrè peccata sua confitens à Sacerdote absolvitur.

Quot partes Pœnitentiæ?

Contritio, Confessio, Satisfactio. Contritio est animi dolor ac detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero. Contritus est, qui actu aut virtute eo est animo, ut malit generalitèr pati quamlibet pœnam, quam mortiferè peccare aut peccasse; omnis *enim* contritus habet charitatem; qui cha-

charitatem habet, Deum plus quam se amat: qui Deum ita amat, mavult perdere se & suam vitam, quam Deum: cùm autem per mortale perdatur Deus, consequens est, ut malit omnia mala pati, quàm sic peccare.

An ergo Contritio non justificet ante susceptionem Sacramenti?

Omninò, si perfecta sit; nam imperfecta, quæ vulgo Attritio dicitur, tantùm ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandum disponit. *Trid. Sess.* 14. *cap.* 4.

Quid est Confessio?

Est externa peccatorum accusatio, Sacerdoti habenti jurisdictionem facta eo animo suscepta, ut virtute clavium veniam impetremus. Per *claves* intelligitur potestas absolvendi à peccatis. Quæ ad quoslibet Sacerdotes extenditur in mortis articulo.

Quæ peccata in Confessione exprimenda sunt?

Venialia utiliter, sed non necessario: Mortalia verò omnia apertè & distinctè, quantum post diligens conscientiæ examen fieri potest, cum circumstantiis no-

tabiliter aggravantibus aut minuentibus.

Quid sigillum seu secretum Confessionis?

Est obligatio celandi ea, quæ in confessione Sacramentali dicuntur. Sub hoc continentur omnia peccata mortalia, venialia, circumstantiæ & omne id, per quod peccatum in confessione detectum, directè vel indirectè possit revelari in genere vel in specie.

Quid est Satisfactio?

Est quædam recompensatio pro injuria Deo facta, cum proposito amplius eum non offendendi. Satisfacit pœnitens per bona opera, etiam non pœnalia, imò & aliàs debita; debent tamen esse bona; & sic ait Trid. c. 8. neque verò ita nostra est satisfactio, sic ut non sit per Christum Jesum.

Quid Remissio seu Indulgentia?

Est remissio pœnæ temporalis Deo debitæ facta extra Sacramentum, per applicationem satisfactionum, quæ in Thesauro Ecclesiæ continentur. Ut quis eam consequatur, debet esse in gratia, & ea omnia facere, quæ exigit indulgentiarum dispensator.

TITULUS XXXIX.

De Sententia Excommunicationis.

Quid est Censura Ecclesiastica?

Est juris Ecclesiastici pœna in tempus correctionis aut satisfactionis imposita. Censuræ Ecclesiasticæ nomine regulariter comprehenditur *excommunicatio*, *suspensio*, *interdictio*.

Quid est Excommunicatio?

Est ab Ecclesiæ communicatione separatio. *Quotuplex est Excommunicatio?*

Duplex: major, & minor: *Minor* est, per quam quis privatur Sacramentorum perceptione. *Major*, per quam quis & Sacramentorum perceptione, & fidelium privatur.

Quando est sermo de Excommunicatione sine addito, de qua debet intelligi?

De majori: nam excommunicatio à S. Pontifice non mortalis, sed medicinalis, non eradicans; sed disciplinans dicitur. Unde nihil refert, quod in pœnalibus mitior interpretatio sit facienda, quia id est mitius, quod animæ salubrius.

Si excommunicatus minore obdurescat in ea, an poterit excommunicari majori?

Poterit, nam crescente contuma-

cia, crescit pœna.

Qui possunt excommunicari?

Soli homines vivi, adulti, baptizati; adeoque Angeli, Bestiæ, Mortui, Ethnici, Judæi non possunt excommunicari.

An excommunicari possit universitas?

Non potest, ne fortè quis innocens aut non contumax excommunicetur, nam ad excommunicationem requiritur peccatum mortale, cui adjuncta sit contumacia.

Quæ est forma ferenda Excommunicationis?

1. Ut præcedant monitiones legitimæ: 2. ut in scriptis excommunicationis causa nominatim promulgent, nisi necessitas aliud suadeat.

Quid est Interdictum?

Est censura prohibens divina officia, & Sacramenta Ecclesiastica celebrari.

Quid est Suspensio?

Est censura ordinum, vel officiorum executionem impediens.

Quid est irregularitas?

Est inhabilitas ad ordines suscipiendos, differens à censura, quod hæc in tempus correctionis; illa verò in perpetuum soleat infligi.

An

An judex, ferendo sententiam sanguinis justam, fiat irregularis?

Omninò. Unde Ecclesia non habet potestatem exercendi gladium materialem, debet enim in Ecclesiasticis mansuetudo, cui judicium sanguinis est contrarium eminere.

TITULUS XL.

De Verborum Significatione.

Quandoquidem verba inventa sint ut mentem exprimant, semper voluntas potius quàm verba spectanda erit. Nisi quis verba conceperit ad fallendum; tunc enim non secundùm mentem proferentis, sed secundùm intellectum alterius forent interpretanda: unde ait cap. *Quacumque 22. quæst. 5.* Quacumque arte verborum quis juret, Deus tamen, qui conscientiæ testis est, ita hoc accipit sicut ille, cui juratur, intelligit. Quia alteri per alterum non est iniqua conditio inferenda.

TITULUS XLI.

De Regulis Juris.

Quid est Regula?

Regula est, quæ rem, quæ est, breviter enarrat. Per hanc enim brevis

vis rerum, quæ jure constitutæ sunt narratio traditur. Regula ut omne jus (unde sumitur) ad Personas, tres & actiones pertinet.

Quotuplex est Regula?

Alia est generalis, quæ scilicet nullo certo loco aut argumento comprehensa per totum jus effunditur, ut hæc: locupletari non debet aliquis cum alterius *injuria* vel damno *c.* 48. *in* 6. alia particularis, quæ certo loco aut materiæ adaptatur, ut hæc: possessor malæ fidei ullo tempore non præscribit *cap.* 2. *eodem.* Idem ista: non est obligatorium contra bonos mores præstitum juramentum, *cap.* 58. *eodem.*

Quodnam est officium Regulæ?

Mentem dirigere ad casus decidendos.

Quandonam perdit officium suum?

Ait Sabinus cùm in aliquo vitiata est, sive dùm patitur exceptionem. Tum enim non habet legis auctoritatem, quia non potest casui excepto applicari. Unde oportet benè scire exceptionem, exceptio enim firmat regulam in casibus non exceptis.

FINIS JURIS CANONICI.

ENCHIRIDII JURIS SYNOPSIS POSTERIOR:

ID EST,

JURIS CIVILIS DEFINITIONES, DISTINCTIONES, ET PETITIONES

PER

QUÆSTIONES CLARAS, BREVES, ET DOCTRINALES

OMNES LIBROS AC TITULOS

INSTITUTIONUM IMPERIALIUM,

Juxta seriem, & ordinem D. Justiniani Imperatoris solidè ac perspicuè explanantes & enucleantes,

Compilata ab Auctore B. S.



DEFINITIONES, DISTINCTIONES, ET PETITIONES, SEU QUÆSTIONES JURIS CIVILIS,

OMNES LIBROS ET TITULOS Institutionum Imperialium breviter & perspicuè explanantes & enucleantes.

Augmentatæ ad usum adolescentiæ incumbentis Juri Civili, continentes plerasque ejusdem Juris Definitiones magno studio ex diversis Auctoribus compilatas.

AD LECTOREM.

Benevole Lector.

Hoc Opusculum continens diversas Definitiones Juris Civilis, valdè est utile; nam illud inspiciendo & maturè legendo, invenitur quidquid est necessarium scitu ad totum Jus Civile sine labore; ideo rogatur, ut diligenter inspiciatur,

&

& fructus percipietur: ideo summo cum labore cuncta compilata sunt, ut ex iisdem statim concipere possis, quidquid in toto illo Jure continetur.

PROŒMIUM INSTITUTIONUM.

Justinianus Imperator jussit componi Codicem ex suis Constitutionibus, & ex Constitutionibus Prædecessorum suorum. Deinde jussit componi Digesta, post Digesta Institutiones: hoc facto injunxit Codicem illum emendari, & edi de novo, expost editæ sunt Novellæ, sed non simul, idque pro rebus occurrentibus. Libri, quibus Corpus Juris Civilis scripti constat, sunt Institutiones, Digesta, Codex & Novellæ.

Institutiones sunt legitimæ scientiæ prima elementa seu fundamenta.

Libri Institutionum sunt quatuor.

Libri Digestorum sunt quinquaginta.

Libri Codicis sunt duodecim, quorum novem priores tantùm explicantur in Scholis, quia tres posteriores agunt de jure publico, quod privatis personis non adeo est necessarium scitu: Unde fit,

quod quando citamus aliquam legem ex libro 10. 11. vel duodecimo, soleamus semper addere numerum libri.

Institutiones habent eandem auctoritatem Juris sive Legum, sicut & habent alii Libri.

Differentiæ inter Jus Canonicum & Civile sunt hæ, quod Jus Canonicum habeat Principes Ecclesiasticos, Jus Civile Auctores habeat Principes Sæculares: quod finis Juris Canonici sit sæpè salus animæ; finis verò Juris Civilis sit salus Reipubl. Deinde quod Jus Canonicum nulla permittat peccata, sed è contra Jus Civile permittat peccata, nempe Usuras, Concubinatus, &c. Item quod de Jure Canon. tantùm consensus parentum requiratur quoad honestatem ad nuptias liberorum; de Jure vero Civili requiratur consensus parentum necessario.

INS-



INSTITUTIONUM IMPERIALIUM.

LIBER PRIMUS.

TITULUS PRIMUS.

De Justitia & Jure.

Quid est Justitia?

Est constans & perpetua voluntas, jus suum cuique tribuendi.

Quotuplex est Justitia?

Duplex; Distributiva, & Commutativa.

Quid est Justitia Distributiva?

Quæ in pœnis præmiisque versatur, secundum geometricam proportionem.

Quid est Justitia Commutativa?

Quæ in rebus ac permutationibus versatur, secundùm arithmeticam æqualitatem.

Quid est Jurisprudentia?

Est divinarum atque humanarum rerum notitia, justi atque injusti scientia.

tratu interrogante, veluti consule constituebat.

Quid plebiscitum?

Quod populus Rom. plebeo Magistratu interrogante, veluti tribuno, constituebat.

Quid senatus consultum?

Quod senatus jubet atque constituit.

Quæ sunt Principum placita?

Sunt Constitutiones; quidquid enim Principi placuit, legis habet vigorem.

Quæ sunt Prætorum edicta?

Quæ non suffragio populi, sed à prætoribus, vi potestatis illis tributæ, proponuntur.

Quæ sunt responsa Prudentum?

Sunt sententiæ & opiniones eorum, quibus erat permissum de jure respondere.

TITULUS II.

De Jure Personarum.

Quid est libertas?

Est naturalis facultas ejus, quod cuique facere libet, nisi si quid vi aut jure prohibeatur.

Quid

TITULUS II.

De Jure Naturali, Gentium, & Civili.

Quid est jus Naturale?

Quod natura omnia animalia docuit.

Quid est jus scriptum?

Quod expresso Legislatoris consensu est introductum.

Quid est jus non scriptum?

Eo jus, quod sine scripto venit, quodque usus approbavit.

Quid est jus Gentium?

Quod omni humano generi commune est.

Quid est jus Civile?

Quod quisque populus sibi constituit.

Quid & quotuplex?

Duplex. Constat enim aut scripto aut non scripto. Scriptum autem jus est Lex, plebiscitum, senatus consultum, Principum placita, magistratuum edicta, responsa prudentum.

Quid est Lex?

Quod populus Rom. Senatorio Magis-

minor 20. annis non potest manumittere, nisi ex justa causa apud Concilium approbata.

Quisnam dicitur manumittere in fraudem Creditorum?

R. Qui dum manumittit non est solvendo, vel hoc quod manumittit, desinit esse solvendo, & animum fraudandi Creditores habet; quod ultimum additur: quia non sufficit status realis, sed etiam requiritur fraus formalis, quae in animo sive voluntate est.

TITULUS VII.

De Lege Fusia Caninia tollenda.

Quid est lex Fusia Caninia?

Est lex, quae constituit aliquem non posse manumittere omnes servos, sed tantum certum numerum de certo numero.

TITULUS VIII.

De His, qui sui vel alieni juris sint.

Quomodo dividuntur personae?

In liberos & servos. Rursus liberi sunt, aut sui, aut alieni juris.

Qui-

Quinam dicuntur esse sui juris?

Qui non sunt sub potestate patris, vel Domini.

Qui sunt alieni juris?

Qui sunt in patria potestate, vel dominica.

TITULUS IX.

De Patria potestate.

Quid est patria potestas?

Est jus personæ in personam, vel imperium Magistratus in subjectos: vel patria potestas in personis liberorum, vel dominium in personas servi.

Quid est patria potestas?

Est jus quod competit patri respectu filiorum.

Quot ex causis acquiritur potestas?

Tribus: nuptiis, adoptione, legitimatione.

Quid nuptiæ?

Nuptiæ sive matrimonium, est viri, & mulieris conjunctio, individuam vitæ consuetudinem continens.

TITULUS X.

De Nuptiis.

Ad justas nuptias requiruntur quatuor.

1. Conditio personarum. 2. Ætas habilis. 3. Consensus. 4. Ut absit impedimentum.

Quis consensus requiritur?

1. Contrahentium, quia inter invitos non ineuntur nuptiæ. 2. Parentum, nam hoc fieri debere & civilis & naturalis ratio suadet, quæ non patitur, ut patri invito agnoscatur suus hæres.

Ad quem gradum probibentur nuptiæ?

R. In linea recta usque ad infinitum; in linea vero collaterali usque ad quartum gradum inclusivè de jure Canonico, & exclusivè de jure Civili.

Quid est gradus?

Est transitus ab una persona ad aliam.

Quid est linea?

Est scala imaginaria numerandi gradus consanguinitatis.

Quotuplex est linea?

Duplex: Recta, & Obliqua.

Quid

Quid est linea recta?

Quæ est inter ascendentes, & descendentes.

Quid est linea obliqua?

Quæ est inter consanguineos collaterales.

Quid legitimatio?

Est legitimus actus, quo illegitimè nati efficiuntur legitimi.

TITULUS XI.

De Adoptionibus.

Quid est Adoptio?

Est legitimus actus, quo qui naturâ liberi non sunt, lege efficiuntur.

Quotuplex est adoptio?

Duplex: Specifica, & arrogatio.

Quid est adoptio specifica?

Quando aliquis adoptatur, qui est sub potestate patria.

Quid est arrogatio?

Quando adoptatur aliquis qui est sui juris.

TITULUS XII.

Quibus modis patriæ Jus potestatis solvitur.

Quibus modis solvitur patria potestas?

Variis modis, v. gr. morte naturali, vel civili, si quis adoptatus fuerit ab avo. Item per quasdam dignitates, v. gr. Patriciatus, consularis dignitatis, aut Senatoris.

An potestas patria solvatur per hoc quod pater sit captus ab hostibus?

R. Non, sed est in suspenso propter jus postliminii.

Quid est jus postliminii?

Est jus sive beneficium, quo Civis Romanus ab hostibus captus, fingitur numquam fuisse captus, si fuerit reversus, atque ita recuperat omnia sua pristina jura, quasi numquam fuisset captus.

Quid si aliquis non sit reversus, sed mortuus in captivitate?

R. Tunc per fictionem legis Corneliæ fingitur primo captivitatis momento fuisse mortuus liber.

Quid

Quid est emancipatio?

Est relaxatio patriæ potestatis coram Judice competente.

TITULUS III.

De Tutelis.

Quid est Tutela?

Est vis, ac potestas in capite libero, ad tuendum eum, qui propter ætatem se defendere nequit, jure civili data ac permissa.

Quotuplex?

Triplex: Testamentaria, legitima, & dativa.

Quid est Tutela testamentaria?

Est, quæ defertur à patre liberis impuberibus in potestate existentibus.

Quid est Tutela legitima?

Quæ datur à lege.

Quid est Tutela dativa?

Quæ datur à judice.

Quid est Pupillus?

Est impubes sui juris.

TITULUS XIV.

Qui Testamento Tutores dari possunt.

Potesne Filiusfamilias dari Tutor?

Resp. Ita.

Quomodo cum videatur inconveniens, quod ille regat alios, qui adhuc est sub patria potestate?

R. Quia tutela est munus publicum, in muneribus autem publicis non attenditur patria potestas, sed filiusfamilias habetur pro patre familias.

Potesne servus dari Tutor testamento?

Ita servus proprius: nam per hoc censetur Dominus servum facere liberum hominem.

Potestne furiosus, vel minor vigintiquinque annis Tutor testamento dari?

R. Ita, sed tamen tunc solum Tutor erit, quando furiosus compos mentis factus fuerit, vel minor factus fuerit major.

Potestne dari Tutor certa res, vel certa causa, sicut potest dari Curator?

R. N

Da

Da rationem disparitatis.

Ratio, quæ una, & individua est, Curator vero detur rebus & negotiis, quæ possunt esse plura.

TITULUS XV.

De Legitima agnatorum tutela.

Quid legitima agnatorum tutela?

Est, quæ defertur proximis agnatis, hodie vero etiam cognatis specificè.

Qui sunt Agnati?

Sunt cognati per sexum virilem conjuncti, v. g. Filius, Pater, Avus paternus, &c.

Quid sunt cognati spepificè?

Sunt cognati per sexum fœmineum conjuncti, ut v. g. Filius, Mater, Avus maternus, Avunculus.

TITULUS XVI.

De Capitis diminutione.

Quid est Capitis diminutio?

Est prioris status mutatio.

In

In quibus consistit status ille?

In libertate civitate & familia. Unde triplex est capitis diminutio, nempe maxima, minor, seu media, & minima.

Quid est maxima capitis diminutio?

Quando quis amittit libertatem, & consequenter civitatem & familiam, nempe quando quis fit servus.

Quid est media capitis diminutio?

Quando quis retenta libertate amittit civitatem, & consequenter etiam familiam; nempe quando aliquis deportatur ad insulas, sive mittitur in exilium.

Quid est minima capitis diminutio?

Quando quis retenta libertate, & civitate amittit suam familiam, nempe quando quis arrogatur, vel emancipatur.

TITULUS XVII.

De Legitima Patronorum tutela.

Quid est legitima Patronorum tutela?

Quæ defertur Patrono respectu liberti impuberis.

TITULUS XVIII.

De Legitima Parentum tutela.

Quid est legitima parentum tutela?

Quæ defertur Patri respectu filii impuberis.

TITULUS XIX.

De Fiduciaria tutela.

Quid est Fiduciaria tutela?

Quæ defertur fratri, respectu fratris sui impuberis emancipati patre jam mortuo.

TITULUS XX.

De Attiliano Tutore, & eo qui ex lege Julia & Titia dabatur.

Quid est Tutor Attilianus?

Est Tutor dativus, qui olim dabatur ex lege Attilia, scilicet à Prætore Urbano, vel majori parte Tribunorum plebis.

Quid est Tutor dativus?

Qui constituitur à Magistratu.

TITULUS XXI.

De Auctoritate Tutorum.

Quid est auctoritas Tutorum?

Est approbatio illius quod agitur cum pupillo acta cum Tutore.

TITULUS XXII.

Quibus modis tutela finitur.

Quomodo finitur tutela?

Variis modis, v. g. pubertate pupillorum, item morte sive naturali, sive civili pupillorum, aut tutorum.

TITULUS XXIII.

De Curatoribus.

Quid est Cura?

Est vis ac potestas in capite libero, ad tuenda atque ministranda negotia, bonaque puberis minoris.

TITULUS XXIV.

De Satisdatione Tutorum, vel Curatorum.

Quid est Satisdatio?

Est cautio quæ fit datis fidejussoribus de indemnitate.

TITULUS XXV.

De Excusationibus Tutorum, vel Curatorum.

Quid est Excusatio?

Est allegatio justæ, & legitimæ causæ, qua quis à tutela jure data, liberari intendit.

TITULUS XXVI.

De Suspectis Tutoribus.

1. *Quis dicitur Tutor suspectus?*

Qui non ex fide tutelam gerit, licet solvendo sit: vel qui moribus talis est, ut suspectus sit, quod non fideliter tutelam sit gesturus.

FINIS LIBRI PRIMI.



INSTITUTI

IMPERIAL

LIBER SECU

TITULUS PR

De Rerum divisione, &
rerum domin

Quomodo res divid

Aliæ sunt in patrimon
patrimonium.

In patrimonio, id est,
tris, sivè in privato homini
Extra patrimonium nos
extrà bona nostra, seu
hominum commercium; v
tæ, sacræ, religiosæ, p

Quomodo adhuc res a

Aliæ sunt communes,
aliæ universitatis, aliæ
singulorum.

Quid sunt res communes?

Quarum usus communis est omnibus hominibus, cujuscumque sint rationis, ut aër, mare, littora maris, & aqua profluens.

Quid sunt res publicæ?

Quarum usus communis est omnibus hominibus unius Reipublicæ seu unius populi, ut flumina, & portus, id est, jus navigandi & piscandi in fluminibus & portubus.

Quid sunt res universitatis?

Quarum usus communis est omnibus hominibus tantùm alicujus municipii, vel alterius corporis minoris in Republica: verbi gratia Theatra, pascua quædam communia, &c.

Quid sunt res nullius?

Quæ sunt extra commercium hominum, ut res sanctæ, sacræ, religiosæ, liber homo.

Quid sunt res singulorum?

Quæ privatim ad singulos pertinent, & acquiruntur singulis, ut res, quæ sunt in cujusque patrimonio.

Quid sunt res sanctæ?

Quæ adversus hominum injuriam mu-

nitæ sunt lege aliqua pœnali, ut portæ, & muri civitatis.

Quid sunt res sacræ?

Quæ ritè per Pontifices Deo sunt consecratæ, ut ædes sacræ.

Quid sunt res religiosæ?

Quæ sepeliendis cadaveribus humanis sunt destinatæ.

Quid locus religiosus?

Est locus sepeliendis cadaveribus humanis destinatus.

Quid dominium verum?

Est jus liberè de aliqua re disponendi tamquam sua; nisi quis vi, aut jure prohibeatur.

Quotuplex est dominium?

Duplex: Directum & utile.

Quid est dominium directum?

Quod habet proprietarius.

Quid est dominium utile?

Quod habet vassallus & emphyteuta.

Quænam sunt partes dominii?

Proprietas, & ususfructus causalis.

Quid est ususfructus causalis?

Est jus utendi, fruendi rebus propriis.

Quid est proprietas?

Est quo res dicitur nostra propria.

Quæ

Quænam sunt affinia Domino?

Quasi dominium, & jus in re specificum.

Quid est quasi dominium?

Est jus quod habet bonæ fidei possessor.

Quid est jus in re specificum?

Est jus quod habet Creditor respectu pignoris, seu in pignore.

Quid est occupatio?

Est apprehensio earum rerum, quæ aut in nullius fuere dominio, neque de facto dominium habent.

Quid est alluvio?

Est incrementum latens, quod fluvius aliquis agro alicujus adjecit.

Quid est insula?

Est locus aliquis circumfluuus.

Quid est specificatio?

Est confectio novæ speciei.

Quid est confusio?

Est conjunctio rerum liquidarum, vel liquefactarum.

Quid est mixtio?

Est conjunctio rerum solidarum, si diversorum dominorum materiæ fuerint confusæ.

Quid est Servitus realis sive praedialis?

Quæ debetur prædio, id est, quæ ad utilitatem prædii principaliter constituta est, ut iter, actus, &c.

Quid est Servitus personalis?

Quæ debetur personæ, id est, quæ ad utilitatem personæ principaliter constituta est, ut usus, & ususfructus.

Quotuplex est Servitus prædialis?

Duplex, Rustica, & Urbana.

Quid est Servitus Rustica?

Quæ debetur prædio Rustico, ut iter, actus, via, aquæ ductus.

Quid est Servitus Urbana?

Quæ debetur prædio Urbano, ut Servitus stillicidii, fluminis, tigni immittendi, oneris ferendi, & altius non tollendi.

Quid est Prædium?

Est res corporalis immobilis.

Quotuplex est Prædium?

Duplex: Rusticum, & Urbanum.

Quid est Prædium Rusticum?

Quod concipiendorum, vel conservandorum fructuum causa comparatum est; ut agri, pascua, horrea.

M Quid

Quid est Prædium Urbanum?

Est quodlibet ædificium inhabitandi, negotiandi, vel recreandi causa comparatum.

Quid est Iter?

Est jus eundi, ambulandi hominis, non etiam agendi jumentum, vel vehiculum per fundum alienum.

Quid est Actus?

Est jus agendi, vel jumentum, vel vehiculum per fundum alienum.

An ille, qui habet actum habeat etiam iter?

R. Ita; quia is, qui concedit quod majus est, censetur etiam concedere quod minus est.

Quid est Via?

Est jus agendi jumentum, vel vehiculum, per fundum alienum, & etiam eundi, ambulandi hominis.

Quid est Aquæ ductus?

Est jus aquæ ducendæ per fundum alienum.

Quid est Servitus stillicidii?

Est servitus quâ vicinus debet aquam pluvialem, ex ædibus vicini guttatim cadentem, recipere in fundo suo.

Quid est servitus fluminis?

Est servitus quâ vicinus debet aquam pluvialem per canalem ex ædibus vicini cadentem, recipere in fundo suo.

Quid est Servitus Tigni immittendi?

Est jus quo vicinus debet pati tignum vicini sui imponi parieti suo, vel columnæ suæ.

Quid est Tignum?

Est quævis materia, ex qua fiunt ædificia, ut lapides, ligna, terramenta, & similia.

Quid est Servitus oneris ferendi?

Est servitus sive jus, quo vicinus cogitur sustentare tignum vicini.

Quid est Servitus altius non tollendi?

Est Servitus quâ vicinus prohibetur ædificare ultra certam altitudinem.

TITULUS IV.

De Usufructu.

Quid est Ususfructus?

Est jus alienis rebus utendi, fruendi salva earum substantiâ.

Quibus modis finitur ususfructus?

Variis modis, scilicet morte usufructua-

tuarii, & duabus capitis diminutionibus, maximâ scilicet, & mediâ, & non utendo per modum & tempus, &c.

TITULUS V.

De Usu & Habitatione.

Quid est Usus?

Est jus rebus alienis utendi, salvâ earum substantiâ.

Quid est Habitatio?

Est jus habitandi in ædibus alienis, salvâ ipsarum substantiâ.

TITULUS VI.

De Usucapionibus, & longi temporis Præscriptionibus.

Quid est Usucapio?

Est adjectio dominii per continuationem possessionis temporis lege definiti.

Quænam sunt præcepta requisita ad usucapionem?

R. Bona fides, titulus justus, continua possessio, tempus à lege definitum, & ut res sit talis conditionis, ut usucapi possit.

As-

Assigna aliquas res, quæ non possunt usucapi.

R. Quæ sunt exemptæ commercio humano: v. g. Res Sacræ, Sanctæ, Religiosæ, &c.

Quodnam est tempus ordinarium requisitum ad res usucapiendas?

R. Ad res mobiles requiritur triennium; ad immobiles vero decennium, vel vicennium, scilicet decennium inter præsentes: & vicennium inter absentes.

Quinam hic dicuntur præsentes?

Qui habitant in eadem provincia.

Quinam hic dicuntur absentes?

Qui habitant in diversis provinciis.

Quare res mobiles citius usucapiuntur, quàm immobiles?

Quia res mobiles citius corrumpuntur vel pereunt, quàm immobiles.

Quare res mobiles citius usucapiuntur inter præsentes, quam inter absentes?

Quia committitur major negligentia à præsentibus, quàm ab absentibus.

Quo tempore debet bona fides adesse in usucapione?

R. De Jure Canonico à principio usque

ad

ad finem; sed de Jure Civili sufficit eam adfuisse in principio.

Si quis post impletam usucapionem intellexerit fuisse rem alienam, an teneatur eam restituere, saltem in foro conscientiæ?

R. Non, jam non est amplius aliena, sed publica, legum authoritate jam nostra facta.

TITULUS VII.

De Donationibus.

Quid est Donatio?

Est liberalitas nullo jure cogente facta.

Quotuplex est Donatio?

Duplex. Mortis causa, & donatio inter vivos.

Quid est Donatio mortis causâ?

Est cum quis mortis cogitatione donat.

Quid est Donatio inter vivos?

Quæ non sit propter mortis suspicionem.

Debetne necessario in donatione mortis causâ fieri mentio mortis vel periculi?

R. Ita, nam alias esset Donatio inter vivos, etiamsi fieret ab eo, qui in extremis constitutus est.

Quo-

Quomodo differt Donatio mortis causâ à Donatione inter vivos?

R. Quod Donatio inter vivos statim perfecta sit, & effectum suum habeat. Donatio vero causâ mortis confirmatur solum morte: deinde inter vivos non licet donare ultra quingentos solidos absque insinuatione: mortis causâ verò donare licet quantum placuerit etiam sine insinuatione. Item donatio mortis causâ revocatur solâ pœnitentiâ, vel præmoriente Donatario, non autem Donatio inter vivos.

Quibus modis revocatur donatio inter vivos?

R. Propter supervenientiam liberorum, & propter quinque causas ingratitudinis, contentas in lege ultima Codicis de revocandis donationibus, v. g. si Donatarius occiderit Donatorem, &c.

In quibus conveniunt Donatio mortis causâ & legatum, & in quibus differunt?

R. Conveniunt in eo, quod utrumque confirmetur tantum per mortem, & quod utrumque revocetur solâ pœnitentiâ, vel præmoriente Donatario: deinde quod utrum-

utrumque requirat quinque testes, item quod ex utroque detrahatur quarta falsidia.

Differunt autem in eo, quod legatum consistat solius Legantis consensu. Donatio vero mortis causâ, requirat etiam Donatarii consensum: deinde quod legatum post mortem Legantis præstetur ab hæredibus: Donatio vero mortis causâ plerumque etiam præsenti traditione peragatur. Item quod filius familias, patre consentiente, donare possit mortis causâ sicuti & inter vivos, non autem legare.

Quid est Donatio propter nuptias?

Est Donatio, quæ fit uxori ex parte mariti in securitatem dotis.

Quid est Dos?

Est quævis res data, aut promissa marito ex parte uxoris ad sustentanda onera matrimonii.

TITULUS VIII.

Quibus alienare licet, vel non.

Quid est alienare?

Est dominium alicujus rei transferre.

Po-

Potestne maritus fundum dotalem obligare aut alienare si uxor consentiat?

R. Non, quamvis ipse sit Dominus fundi dotantis.

TITULUS IX.

Per quas personas nobis acquiritur.

Per quas personas acquirimus Dominium?

Resp. Non tantùm per nosmetipsos, sed etiam per servos nostros, & per liberos in postestate nostra existentes: item per servum alienum, in quo habemus usumfructum, vel qui bonâ fide nobis servit: item per liberum hominem, qui bona fide nobis servit.

Quid acquirit Dominus per servum?

R. Omnia, quia servus nihil habet proprii, sed quidquid acquirit, acquirit suo Domino.

Quid acquirit Pater per filium in potestate existentem?

R. Periculum profectitium, & usumfructum peculii adventitii.

Quid est peculium?

Est illud quod filiusfamilias vel servus ex permissione Patris vel Domini, vel ju-

uris, à rationibus paternis vel dominicis separatum habet.

Quotuplex est peculium?

Duplex: Aliud est filiifamilias, aliud est servile.

Quid est peculium filiifamilias?

Est illud quod filiusfamilias ex promissione Patris, à rationibus paternis separatum habet.

Quotuplex est peculium filiifamilias?

Quadruplex: Profectitium, Adventitium, Castrense & quasi Castrense.

Quid est Peculium Profectitium?

Quod filius acquisivit ex rebus paternis, sive ex parte patris, v. g. si Pater, vel Avus paternus aliquid dederit filio, vel si filius successerit Avo paterno.

Quid est Peculium Adventitium?

Quod filius acquirit aliunde, quàm ex rebus paternis vel militia, v. g. Si Mater, vel Avus maternus aliquid dederit filio.

Quid est Peculium Castrense?

Quod filius acquirit ex militia armata.

Quid est Peculium quasi Castrense?

Quod filius acquirit ex militia togata.

Assigna aliquem modum acquirendi dominii universalem, sive per universitatem.

R. Hæreditas, bonorum Possessio, Arrogatio, Adictio libertatum conservandarum causâ.

Quid est Hæreditas?

Est successio in universum jus, quod defunctus habuit tempore mortis.

Quotuplex?

Duplex: Testamentaria, quæ ex testamento datur, & legitima, & ab intestato.

TITULUS X.

De Testamentis ordinandis.

Quid est Testamentum?

Est voluntatis nostræ justa sententia de eo, quod quis post mortem suam fieri velit.

Unde appellatur Testamentum?

Ex eo, quòd quædam sit testatio mentis.

Quænam sunt solemnitates Testamentariæ?

Ut adhibeantur septem testes, ut sint Cives Romani, ut sint puberes, ut sint Masculi, ut Testamento subscribant & illud signent, ut testes sint ad hoc roga-

gati, item ut Testamentum fiat unico contextu.

Quid hoc significat Testamentum fieri unico contextu?

Est sic fieri, ut non interveniat aliquis actus notabilis extraneus.

Quid est actus extraneus?

Qui est alienus à testamento.

Da Contractum, qui non est extraneus.

R. Emptio lapidis sepulchralis.

Quinam possunt esse testes in testamentum?

R. Illi, cum quibus testamenti factio est, id est, illi qui possunt institui hæredes; sed ab illa regula aliqui excipiuntur, ut fœminæ, servi, impuberes, furiosi, muti, surdi, prodigi, quibus bonorum administratio interdicta est.

Quare fœminæ non possunt esse testes in Testamento, cùm benè possint esse testes in aliis negotiis?

R. Quia ad solemnitatem testamenti requiritur, ut sint Masculi.

Potestne Pater esse testis in Testamento filii sui, aut frater in Testamento fratris, qui in ejusdem patris potestate cum eo consistit?

R. Non, quia hac in re prohibitum

est testimonium Domesticum.

Quid est Testimonium Domesticum?

Est testimonium eorum, qui patriâ potestate junguntur.

Quotuplex est Testamentum?

Duplex. Aliud est Solemne, aliud est Nuncupativum.

Quid est Testamentum solemne?

Quo hæredis nomen scribitur, quod septem testium præsentium subscriptionibus, nec non, signaculis unico contextu celebratur.

Quid est Testamentum nuncupativum?

Est, quod est sine scriptura septem testibus convocatis.

An Testamentum Nuncupativum requirat etiam omnes solemnitates Testamenti scripti?

Ita: exceptis iis, quæ ad scripturam pertinent, ut est testium subscriptio & signatio.

TITULUS XI.

De militari Testamento.

Quid Testamentum militare?

Est testamentum factum à milite in expeditionibus existente.

Quid

Quid est testamentum paganicum?

Est testamentum factum ab alio quàm à milite, in castris sive expeditionibus existente.

Potestne miles surdus vel mutus testari?

Resp. Ita.

An testamentum militare valeat etiam postquam miles missus est militia?

R. Ita adhuc per unum annum, modò scilicet honeste missus sit, non ejectus.

TITULUS XII.

Quibus non est permissum facere testamentum.

Quinam possunt facere testamentum?

Resp. Omnes patresfamilias, qui non reperiuntur prohibiti.

Quare dicis Patresfamilias?

R. Quia lex Duodecim Tabularum solis patribusfamilias permittit testamenti factionem.

An filiusfamilias possit facere testamentum saltem cum consensu patris?

R. Non, quia testamenti factio est juris publici, privatorum autem pactis juri publico derogari non potest.

An Filiusfamilias possit facere testamentum de aliquibus saltem bonis?

R. Ita. De bonis Castrensibus & quasi Castrensibus.

Quinam Patresfamilias prohibentur facere testamentum?

R. Impuberes, furiosi, prodigi, quibus administratio bonorum interdicta est.

TITULUS XIII.

De Exhæredatione liberorum.

Quid est Exhæredatio?

Est exclusio alicujus ab universo jure defuncti.

Quid si filius fuerit præteritus, id est, neque hæres institutus, neque exhæredatus nominatim.

R. Si sit præteritus à patre, testamentum est ipso jure nullum; si vero sit præteritus à matre, tunc testamentum est quidem ipso jure validum, sed est obnoxium rescissioni per querelam inofficiosi testamenti.

De

Debentne omnes liberi nominatim exhæredari?

R. Ita hodie, sed olim tantùm filii debebant nominatim exhæredari, filiæ verò & neptes poterant inter cæteros exhæredari.

Quis dicitur nominatim exhæredari?

R. Qui exhæredatur expresso nomine proprio, vel per certam demonstrationem designatur, v. g. Filium meum Joannem exhæredo; vel sic: Filium meum studiosum exhæredo, si nempè tantùm habeat unum filium studiosum.

Ex quibus causis liberi possunt exhæredari à parentibus?

R. Hodie tantùm ex quatuordecim contentis in novella 115. *cap.* 3. v. g. si quis patri maledixerit, vel eum verberaverit; olim poterant etiam ex aliis quibusdam causis exhæredari.

Possuntne liberi exhæredari sub conditione?

R. Non, quia certo judicio debent exhæredari, hoc autem non fieret si exhæredatio penderet ab incerto conditionis eventu.

TITULUS XIV.

De Hæredibus instituendis.

Quid est institutio hæredis?

Est designatio hæredis per ultimam voluntatem facta, verbi gratia Titius hæres esto.

Quid est hæres?

Est successor in universum jus defuncti.

Quot personas possumus instituere hæredes?

R. Tot, quot placuerit.

In quot partes dividitur hæreditas?

R. In duodecim partes sive uncias.

Quænam sunt partes hæreditatis.

R. Uncia, Sextans, Quadrans, Triens, Quintunx, Semis, Sextunx, Bes, Dodrans, Dextans, Deunx, & As.

Uncia est duodecima pars hæreditatis.

Sextans, sunt duæ unciæ, & sic vocatur, quia est una sexta pars hæreditatis.

Quadrans, sunt tres unciæ, & dicitur quadrans, quasi quarta pars hæreditatis.

Triens, sunt quatuor unciæ, & dicitur triens, quasi tertia pars hæreditatis.

Quintunx, sunt quinque unciæ.

Se-

emis, sunt sex unciæ, seu media pars editatis.

eptunx, sunt septem unciæ.

ies, sunt octo unciæ, & vocatur Bes si bis triens.

)odrans, sunt novem unciæ, & sic atur quasi deest quadrans ad hoc ut :ota hæreditas.

)extans, sunt novem unciæ, & sic atur quasi deest unus Dextans ad hoc sit tota hæreditas.

)eunx, sunt undecim unciæ, & sic atur quasi deest unica uncia ad hoc int duodecim, sive tota hæreditas.

\s, sunt duodecim unciæ, sive totus i.

TITULUS XV.

De Vulgari Substitutione.

Quid est substitutio vulgaris?

st institutio hæredis, secundo, tertio, vel ulteriori loco facta in locum ecedentis, v. g. si Titius hæres non , Nevius hæres esto.

Quotuplex est substitutio?

)uadruplex: alia est vulgaris, alia puaris, alia exemplaris & alia mil*Quid.* itaris

Quid est Substitutio vulgaris?

Quæ fit in locum prius constituti, in casum quo is hæres non erit, alter hæres esto, v. g. si Titius hæres non sit, Nevius hæres esto.

Quid substitutio pupillaris?

Quæ fit á patre liberis impuberibus in potestate existentibus, in casum quo fuerint hæredes, & mortui fuerint antequam sint puberes, v. gr. si filius meus Nevii fuerit hæres, & ante pubertatem decesserit, Titius esto.

Quid substitutio exemplaris?

Quæ fit à patre, vel matre liberis furiosis, vel mente captis.

Quid substitutio militaris?

Cum miles aliquem instituat hæredem usque ad certum tempus, & post illud tempus substituit aliquem alium.

TITULUS XVI.

De Pupillari Substitutione.

Quid est Substitutio pupillaris?

Cum aliqui ex hæredibus instituti, sibi invicem substituuntur, v. gr. aliquis instituerat Titium, Nevium, & Sem-

pro-

pronium hæredes, & postea substituit hoc modo, si Titius hæres non sit, Nevius hæres esto; & si Nevius hæres non sit, Sempronius hæres esto.

Quid est substitutio compendiosa?

Quæ brevitate verborum, plures substitutionis species complectitur, v. gr. quandocumque filius meus morietur, Titius hæres esto, si enim ille filius sit impubes, continetur non tantum substitutio vulgaris, sed etiam pupillaris, & si sit furiosus aut mente captus, continetur etiam substitutio exemplaris.

TITULUS XVII.

Quibus modis testamenta infirmentur.

Quot modis infirmantur testamenta?

Quatuor. 1. Agnatione sui hæredis. 2. posteriore testamento perfecto. 3. capitis diminutione. 4. per querelam inofficiosi.

Quid est testamentum ruptum?

Est testamentum, quod amittit vires testatore manente in eodem statu.

An testamentum prius rumpatur etiam per posterius imperfectum?

R. Regulariter non, sed tamen aliquando; v. gr. si in testamento posteriori imperfecto instituti fuerint illi, qui poterant venire ab intestato ad hæreditatem, cui priori instituti essent extranei, id est; illi qui non erant venturi ab intestato.

Quid est testamentum irritum?

Quod amittit vires, ex eo quod testator patiatur capitis diminutionem.

An propter minimam capitis diminutionem testatoris irritum fiat testamentum?

R. Ita, quia testator per minimam capitis diminutionem fit filius familias, atqui filius familias non potest facere testamentum.

Quare Filiusfamilias non potest facere testamentum?

R. Quia lex 12. Tabularum solis patribusfamilias permittit testamenti factionem.

TITULUS XVIII.

De inofficioso testamento.

Quid est testamentum inofficiosum.

Resp. In quo quis injustè exhæredatur, aut præteritus est.

Quid

Quid est querela inofficiosi?

Est subsidiarium remedium, quo petitur à Judice, ut testamentum quasi contra pietatis officium factum, & suo officio rescindat: datur hoc liberis & parentibus, fratribus verò & sororibus, si turpes personæ scriptæ sint.

Quid est persona turpis?

Est persona infamis.

Quid sunt fratres Germani?

Qui habuerunt utrimque eosdem parentes.

Quid sunt fratres consanguinei?

Qui habuerunt utrimque eundem patrem.

Quid sunt fratres uterini?

Qui habuerunt eandem matrem.

An cesset aliquando querela inofficiosi?

R. Ita, v. g. si quis sit justè exhæredatus. Item in testamento militari. Item si quis hæres institutus sit etiam in re minima, si autem ista res minima non sufficiat ad legitimam, tunc agendum est ad supplementum legitimæ, & cessare debet querela inofficiosi.

Quid est quarta legitima?

Est certa pars personis debita ab intesta-

ta-

tato, id certa pars ejus, quod quis habiturus fuisset, si testator decesisset intestatus.

Quota pars hæreditatis est legitima?

R. Olim erat quarta pars seu quadrans; hodie verò est semis vel triens, & semis quando sunt plures liberi quam quatuor; & triens seu tertia pars hæreditatis, si non sint plures liberi quam quatuor.

TITULUS XIX.

De Hæredum qualitate & differentia.

Quotuplices sunt hæredes?

Resp. Duplices. Sui, aut extranei.

Qui dicuntur sui?

Qui in potestate sunt testatoris, & quos nemo in gradu præcedit.

Qui sunt extranei?

Qui testatoris juri subjecti non sunt; hique habent duplex beneficium, deliberandi, & inventarii.

Quid est beneficium deliberandi?

Est potestas hæredibus data de adeunda intra annum hæreditate.

Quid est beneficium inventarii?

Est descriptio bonorum defuncti, cita-

tatis iis quorum interest; cujus beneficium est quod hæres in tantum tenetur, quantum bona defuncti valent.

Qui dicuntur hæredes necessarii?

Qui hæredes sunt, sive velint, sive nolint.

TITULUS XX.

De Legatis.

Quid est Legatum?

Est donatio quædam à defuncto relicta, ab hærede præstanda.

Quæ actiones dantur pro legatis?

Rei vindicatio, actio hypotecaria, actio personalis ex quasi contractu.

Quid est rei vindicatio?

Est actio in rem, qua quis petit se dominum alicujus rei declarari, & eam sibi tamquam domino restitui à quocumque possessore aut detentore.

Quare Legatarii habent actionem hypotecariam?

R. Quia omnia bona defuncti sunt ipsis tacitè seu ipso jure obligata.

Qua-

Quare Legatarii habent actionem personalem?

R. Quia hæres adeundo hæreditatem, censetur contrahere cum legatariis ex quasi contractu.

Qui sunt creditores hæreditarii?

Sunt illi, quibus defunctus erat obligatus.

Quid est jus accrescendi?

Est jus, quo portio cohæredis vel collegatarii conjuncti deficientis, acquiritur alteri portionem suam agnoscenti.

Quotuplex est conjunctio ad eamdem rem?

Triplex: Realis tantùm, verbalis tantùm & mixta.

Quid est conjunctio realis tantùm?

Quando eadem res pluribus relicta est, in diversis orationibus, v. g. Titio fundum tusculanum, do, lego. Item Nevio eundem fundum tusculanum, do, lego.

Quid conjunctio verbalis tantùm?

Quando eadem res pluribus relinquitur in eadem oratione, sed cum particula *ex æquis partibus*, v. g. Titio & Nevio fundum tusculanum ex æquis partibus do, lego.

Quid

Quid est conjunctio mixta?

Quando eadem res pluribus relinquitur in eadem oratione simpliciter.

Quid est legatum electionis?

Quando alicui electio expressè legatur, Titio lego electionem unius ex equis meis.

Quibus personis potest legari?

R. Omnibus illis, cum quibus testamenti factio est, id est iis qui possunt hæredes institui.

Quæ res potest legari?

Res propria & aliena, obligata, futura, debita, dos, corpus totum, &c.

Quid est posthumus?

Qui nascitur post mortem patris vel testatoris.

Quid est posthumus suus?

Qui non est nasciturus suus hæres.

Quid est posthumus filius?

Qui est nasciturus suus hæres.

Quis dicitur servus verna?

Qui natus est ex ancilla nostra.

Quid est legatum pœnæ nomine relictum?

Quod relinquitur ad cogendum hæredem, quo magis aliquid faciat vel non faciat, v. g. hæres meus, si Capitolium ascenderit 100 aureos det Nevio, vel sic,

hæres meus nisi Capitolium ascenderit 100 aureos det Nevio.

Quid est legatum impossibile?

Cui impossibilis conditio adjecta est, v. gr. hæres meus, nisi mare ebiberit, centum aureos det Nevio.

Legatum pœnæ legibus prohibitum est, v. g. hæres meus, nisi fratrem suum occiderit, centum aureos det Nevio.

Legatum contra bonos mores est, v.g. hæres meus, nisi nudus in foro ambulaverit, centum aureos det Nevio.

TITULUS XXI.

De Ademptione Legatorum, & translatione.

Quid est Ademptio Legatorum?

Est revocatio illius quod legatum est.

Quomodo adimuntur legata?

R. Vel expressè, vel tacitè.

Expressè, id est rebus expressis, v. g. quod Titio legavi, non lego.

Tacitè revocatur legatum ex præsupposita voluntate Testatoris: v. g. si testator rem legatam alienaverit, aut vendiderit ante suam mortem sine ulla necessitate.

Quo-

Quomodo transferuntur legata?

R. Ab una re ad aliam, vel ab uno legatario ad alterum, vel ab uno hærede ad alium, vel ab uno modo ad alium.

Ab una re ad aliam, v. g. loco vini quod Titio legavi, lego ei modium tritici.

Ab uno legatario ad alterum, v. gr. quod Titio legavi, Nevio do, lego.

Ab uno hærede ad alium, v. g. legata quæ dixi ut solveret hæres meus Titius, volo ut solvat hæres meus Nevius.

Ab uno modo ad alium, v. g. à modo conditionali, aut è contra, v. g. quod Titio purè legavi, lego illi, si navis ex Asia venerit.

TITULUS XXII.

De Lege Falcidia.

Quid est lex Falcidia?

Est lex, quæ constituit aliquem non posse hæreditatem suam gravare ultrà dodrantem legatis, & si contra fecerit, permittit ea lex hæredi retinere quartam partem hæreditatis.

Quid est quarta Falcidia?

Est quarta pars hæreditatis, quam retinere potest hæres, qui ultra dodrantem gravatus est legatis.

Quare introducta fuit illa quarta Falcidia?

R. Ne testamenta tam sæpè fierent deserta: hæredes enim pro nullo vel minimo lucro sæpè nollebant adire hæreditatem, & sic testamentum fiebat desertum.

Quo tempore inspicienda est quantitas patrimonii, an tempore mortis testatoris, an tempore aditæ hæreditatis?

R. Tempore mortis testatoris.

An ratio legis Falcidiæ habeat locum in singulis hæredibus?

R. Ita, v. g. Si Titius & Nevius hæredes instituti sint, quisquis in uno semisse, & semis Titii sit gravatus ultra dodrantem, poterit Titius detrahere quartam falcidiam, quamvis Nevius non sit gravatus ullis legatis, & sic media pars hæreditatis salva est apud Nevium.

Quænam primò deducuntur antequam ponatur ratio legis falcidiæ?

R. Æs alienum, funeris impensæ, pretia servorum.

TI-

TITULUS XXIII.

De Fideicommissariis hæreditatibus & ad Senatusconsultum Trebellianum.

Quid est Senatusconsultum Trebellianum?

Quod constituit aliquem non posse gravare hæreditatem suam ultra dodrantem fideicommissis, & hoc fecerit, permittit illud Senatusconsultum hæredi retinere quartam partem bonorum.

Quid est quarta Trebellianica?

Est quarta pars bonorum, quam retinere potest hæres, qui ultra dodrantem gravatus est fideicommissis.

Fuit illa quarta Trebellianica introducta ob eamdem rationem, ob quam instituta est quarta Falcidia.

Quid est hæreditas fideicommissaria?

Est hæreditas subjecta fideicommisso, seu restitutioni.

Quid est fideicommissum?

Est ultima voluntas, quæ verbis precariis ministerio alterius commissa in aliquem confertur, v. g. precor hæredem meum, ut fundum Tusculanum restituat Sempronio.

Quid est fideicommissum universale?

Quando quis rogatus est restituere totam hæreditatem, vel partem aliquam hæreditatis, v. g. rogo hæredem meum, ut hæreditatem meam restituat Sempronio: vel sic: rogo hæredem meum, ut trientem hæreditatis restituat Sempronio.

Quid est fideicommissum singulare?

Quando quis rogatus est restituere rem singularem, seu particularem.

Quid est hæres fiduciarius?

Qui gravatus est fideicommisso universali.

Quid est hæres fideicommissarius?

Cui relictum est fideicommissum universale.

Quænam est differentia inter quartam Trebellianicam & quartam Falcidiam?

R. Quod Falcidia detrahatur ex legatis, Trebellianica ex fideicommissis: deinde, quod in Falcidiam imputentur solùm ea, quæ hæres habet titulo institutionis, seu hæredis, in Trebellianicam etiam imputentur ea quæ accepit à defuncto titulo particulari, v. g. titulo legati vel fideicommissa.

TI-

TITULUS XXIV.

De singulis rebus per fideicommissum relictis.

Potestne etiam res aliena per fideicommissum relinqui?

Respond. Quod sic, v. gr. rogo hæredem meum, ut ædes vicini mei det Titio.

Potest etiam libertas servo per fideicommissum relinqui, v. g. rogo hæredem meum ut Stichium servum meum manumittat?

Respond. Ita.

Quid est Libertus Orcinus?

Qui ex directo Testamento libertatem accepit, sive cui libertas legata est.

Quare ille Libertus vocatur Orcinus?

R. Quia non habet aliquem patronum quàm qui in orco est, unde Libertus Orcinus non debet servire patrono, sicuti cæteri liberti.

TITULUS XXV.

De Codicillis.

Quid sunt Codicilli?

Sunt quoddam Testamentum imperfectum, sine directa hæredis institutione & exhæredatione factum.

Quare additur illa particula sine directa hæredis institutione?

R. Quia in Codicillis non potest quis directe hæres institui, vel exhæredari, vel adimi non potest.

Potestne ergò hæreditas indirectè per Codicillos sive obliquè dari vel adimi?

Resp. Ita scilicet per fideicommissum: possunt enim in codicillis relinqui fideicommissa.

Fac Codicillum tam ex Testamento, quàm ex intestato.

Resp. Quicumque mihi futurus est Hæres, rogo eum, ut hæreditatem meam restituat Titio.

Quomodo differunt Codicilli à Testamento?

Resp. Quòd in Codicillis non fiat institutio hæredis; in Testamento verò pos-

sit & necessario fieri debeat; deinde quòd Codicilli non requirant solemnitates testamentarias, & tantùm requirant quinque testes. Testamentum vero requirat septem testes. Item quòd possit quis decedere cum pluribus Codicillis, non verò cum pluribus Testamentis.

Quare potest quis decedere cum pluribus Codicillis, magis quam cum pluribus Testamentis?

Resp. Quia Testamentum posterius rumpit prius; Codicilli verò posteriores non rumpunt priores, nisi sint prioribus contrarii.

Quæ est clausula Codicillaris, quæ in Testamento apponi solet?

R. Hæc vel similis: si hæc mea voluntas non valeat jure Testamenti, volo, ut valeat jure Codicillorum: vel volo, ut valeat quo potest, vel omni meliori modo.

Quando Jus Codicillorum in usu esse cœpit, & quis primò introduxit Codicillos?

R. Jus Codicillorum temporibus Divi Augusti primò in usu esse cœpit.

FINIS LIBRI SECUNDI.

INS-

INSTITUTIONUM IMPERIALIUM

LIBER TERTIUS.

TITULUS PRIMUS.

De Hæreditatibus, quæ abintestato deferuntur.

Quis dicitur decedere intestatus?

Qui, vel omnino Testamentum non fecit cùm potuit, aut non jure fecit, aut id quod fecerat, ruptum irritumve factum est, aut si ex eo nemo hæres extiterit.

Quis ordo successionis abintestato hodie observatur?

R. Descendentium, Ascendentium, & Transversalium.

Qui veniunt appellatione Descendentium?

R. Liberi utriusque sexus.

Qui veniunt appellatione Ascendentium?

R. Parentes omnes utriusque sexus.

Qui

Qui veniunt appellatione Collateralium?
R. Agnati, & Cognati.

TITULUS II.

De legitima Agnatorum successione.

Quis jure veteri succedentium abintestato ordo fuit?

Resp. Ex lege duodecim tabularum successionum hujusmodi duo ordines fuerunt, nempe hæredum suorum & legitimorum, id est agnatorum, exclusis cognatis.

Estne hodie aliqua differentia inter Agnatos & Cognatos quoad successionem abintestato?

Resp. Non.

TITULUS III.

De Senatusconsulto Tertulliano.

Quid est Senatusconsultum Tertullianum?

Est Senatusconsultum, quod constituit matrem non posse abintestato succedere suæ proli.

TI-

TITULUS IV.

De Senatusconsulto Orficiano.

Quid est Senatusconsultum Orficianum?

Est Senatusconsultum, quod constituit prolem non posse succedere suæ matri abintestato.

Estne hodie adhuc opus istis Senatusconsultis?

R. Non; quia hodie omnis differentia sublata est quoad successionem abintestatò inter Agnatos & Cognatos specifice; olim vero opus fuit istis Senatusconsultis, quia lex duodecim tabularum solos Agnatos vocabat ad successionem abintestato, & Cognatos specificè excludebat à successione, ut nequidem mater posset succedere proli, vel proles matri.

TITULUS V.

De Successione Cognatorum.

Quid de Cognatis statuit lex duodecim tabularum?

Respond. Hos excludebat omnino: quippe qui, cùm per fœminini sexus

xus personas cognatione jungatur, sui aut legitimi hæredes non essent. Verùm Prætor vocavit: Cognatos proximos tertio ordine, nempè deficientibus suis & legitimis, in quo ille naturalem cognationem secutus fuit.

Ad quem usque gradum vocantur Cognati, & Agnati?

R. Olim Cognati usque ad sextum gradum cognationis vocabantur; Agnati verò ad hæreditatem admittebantur, etsi decimo gradu essent, immo & ultrà.

TITULUS VI.

De Gradibus Cognationum.

Quid est Cognatio?

Est vinculum juris, seu necessitudo, quæ inter eos, qui de communi stipite propinquo manent, intercedit.

Quotuplex est Cognatio?

Triplex. Alia est civilis tantùm, alia est naturalis tantùm, alia civilis & naturalis simul.

Quid est Cognatio civilis tantùm?

Est Cognatio, quæ fit super adoptionem.

Quid est Cognatio naturalis tantum?

Est Cognatio, quæ fit inter vulgò quæ sitos, & servos.

Quid est Cognatio civilis & naturalis simu

Est Cognatio, quæ intercedit inter eo qui legitimis nuptiis quæsiti sunt.

Quotuplex est Cognatio naturalis & civili

Triplex. Alia est ascendentium, qui nc genuerunt; alia descendentium, qui nobis progeniti sunt; & alia est transve salium, qui neque nos genuerunt, neq à nobis progeniti sunt, sed eamdem n biscum stipitem communicarunt.

Quid est Linea?

Est collectio personarum ab eodem s pite descendentium, continens gradus distinguens cognationes.

Quid est Gradus?

Est transitus de proximo ad proximu

TITULUS VII.

De servili Cognatione.

Quid est servilis Cognatio?

Resp. Quæ contrahitur inter eos, in contubernio & statu servili cc cepti natique sunt.

TITULUS VIII.

De Successione Libertorum.

Quid jure veteri circa hanc possessionem obtinuit?

Resp. LEX XII. Tab. ita demum ad hæreditatem liberti vocabat patronum, si intestatus mortuus esset libertus, hærede suo nullo relicto.

TITULUS IX.

De Assignatione libertorum.

Quid intelligitur per assignationem Libertorum?

Resp. Assignare libertum dicitur patronus, quando ex pluribus liberis, quos in potestate sua habet, attribuit uni jus patronatus, qui solus sit liberti patronus.

Et fit hæc Assignatio, vel Testamento, vel Codicillis, vel etiam inter vivos, quibuscumque verbis, nutu, purè, vel sub conditione.

TI-

TITULUS X.

De bonorum Possessionibus.

Quid est bonorum Possessio?

Est jus persequendi retinendive pa monii, quod cujusque, cùm mo retur, fuit.

Per quam particulam excluditur hæredit

Per particulam *Jus*, quia tacitè sul telligitur prætorium; hæreditas enim juris prætorii: itaque bonorum posse nihil est aliud, quàm succesio præt in universum jus defuncti.

Quotuplex est bonorum Possessio?

Duplex. Alia est ex Testamento, est abintestato.

Quid est bonorum Possessio ex Testame

Est possessio quæ competit qua Testamentum factum est, id est, qua aliquis decedit testatus.

Quid est bonorum Possessio abintest

Est possessio quæ competit qua quis decedit intestatus.

Q

Quot sunt bonorum Possessiones ex Testamento?

R. Duæ: Una secundum tabulas, altera contra tabulas.

Quid bonorum Possessio secundum tabulas? Quæ datur iis, qui hæredes instituti sunt.

Quid bonorum Possessio contra tabulas?

Quæ datur liberis emancipatis præteritis.

Quot sunt bonorum Possessiones abintestato?

R. Quatuor: scilicet, unde Liberi, unde Legitimi, unde Cognati, & unde Vir, & Uxor.

Unde Liberi, datur Liberis ad bona Patris sui abintestato mortui, sive illi sint sui, sive emancipati, sive ex defuncto nati, sive adoptivi, durante tamen, non etiam dissoluta adoptione.

Unde Legitimi, datur omnibus, quibus vel Lex, vel S. C. vel Constitutiones hæreditatem deferunt, cujusmodi sunt Agnati, Patroni, Mater, Liberi, quibus tamen non omninò est necessaria hæc bonorum possessio.

Unde Cognati, datur Cognatis, id est iis, qui Jure Civili non agnoscuntur, ut sunt

conjuncti per fœminas, & qui capitis diminutione Jus agnationis amiserunt.

Unde Vir, & Uxor, datur conjugibus, quos ad mutuam successionem vocat Prætor deficientibus proximis.

TITULUS XI.

De Acquisitione per Arrogationem.

Quotus modus acquirendi dominii universalis, sive per Universitatem est arrogatio?

Resp. Tertius.

Qualiter succeditur per Arrogationem?

Cum Paterfamilias sese in arrogationem dat, omnes ejus res corporales & incorporales, quæque ei debitæ sunt, arrogatori pleno olim jure acquiri solebant.

TITULUS XII.

De eo, cui libertatis causâ bona addicuntur.

Quid intelligis per addictionem Bonorum, & cur introducta?

Introducta fuit addictio bonorum ex rescripto D. Marci: idque libertatum conservandarum causâ, quæ Testamento

datæ simul cum eo periclitabantur.

TITULUS XIII.

De successionibus sublatis, quæ fiebant per bonorum successiones, & ex S. C. Claudiano.

Duo modi acquisitionis hodie sublati, hic indicantur.

Quis prior modus?

Venditio bonorum ejus, qui fraudationis causâ latitaverat, cujus asperitas hodie abrogata est, & tantummodo creditoribus datur officio Judicis bona latitantium debitorum possidere, constituiturque bonorum Curator, ut per eorum distractionem satisfaciat creditoribus.

Quis alter modus acquirendi?

Fuit is introductus à S. C. Claudiano, ex quo libera mulier, quæ se contra Domini denuntiationem alieno junxisset servo, addicebatur Domino servi cum fortunis omnibus; si verò sciente Domino, tantùm fiebat ejus libertas. Hoc S. C. quod honestas extorserat, Imp. abrogavit tamquam nimis asperum; cum per

leges stupri pœna non sit servitus, absurdumque sit nequitiam servi Domino lucrosam esse, cui proinde licentia datur talem servum castigatione competenti corrigere, & abstrahere à tali muliere.

TITULUS XIV.

De Obligationibus.

Duo præcipua Juris Civilis Capita sunt, scilicet Dominium & Obligatio.

Quid est Obligatio?

Est juris vinculum, quo necessitate alicujus rei solvendæ secundùm nostræ Civitatis jura adstringimur.

Quotuplices sunt obligationes?

Triplices: Alia est naturalis tantùm, quæ solo æquitatis vinculo sustinetur, non adjuta aliquo modo à Jure Civili, ut ex ea adversus aliquem non detur actio; cujusmodi est pactum nudum, sive promissio nuda cedendo aliquid. Alia est Civilis, quæ à Jure Civili habet vim & vinculum aliquod, sed cui necessitas desit, quæ per exceptionem eligitur, ut nihil exigi possit, cujusmodi est litterarum obli-

obligatio, sive ea scriptura, quâ quis confitetur sibi numeratam pecuniam, quæ necdum numerata sit.

Alia civilis, & naturalis, quæ æquitatis & juris vinculo nititur, actionemque producit efficacem, sed cum affectu agendi.

Quid sunt obligationes Civiles?

Quæ à Jure Civili sunt introductæ, vel saltem à certa lege comprobatæ, v. gr. obligatio verborum, obligatio literarum, obligatio ex empto, obligatio ex vendito, obligatio ex locato, obligatio ex conducto, &c.

Quid sunt Obligationes Prætoriæ?

Quæ à Prætorio jure introductæ sunt, v. g. obligatio ex peculio, obligatio de constituta pœna.

Quid est Obligatio de Peculio?

Est Obligatio, qua Pater, vel Dominus tenetur ex contractu filii, seu servi, in quantum est in peculio.

Quomodo adhuc Obligationes dividuntur?

R. Aliæ oriuntur ex contractu, aliæ ex quasi contractu, aliæ ex maleficio, & aliæ ex quasi maleficio.

Quot modis oritur Obligatio ex contractu?

R. Quatuor modis; scilicet, re, ver-

bis, literis & consensu.

TITULUS XV.

Quibus modis re contrahitur Obligatio.

Assigna Obligationem re contractam?

Resp. v. g. Mutui & Debiti.

Assigna præcipuos contractus re initos?

R. Mutuum indebitum, commodatum, depositum & pignus.

Quid est Contractus re initus?

Quo res fungibilis ea lege datur, ut in eodem genere restituatur.

Quid sunt res fungibiles?

Quæ pondere, numero, vel mensura constant, id est; quæ per pondus, vel numerum, vel mensuram distrahi, seu vendi solent, v. g. Frumentum, Vinum, Oleum, Pecunia numerata.

Quid est Contractus?

Est duorum, vel trium in unum placitum consensus.

Quotuplex est Contractus?

Alius est nominatus, alius innominatus.

Quid

Quid est Contractus nominatus?

Qui distinctum, ac speciale nomen à jure accepit, ut mutuum, commodatum, &c.

Quid est Contractus innominatus?

Qui tantùm generale nomen à jure accepit, v. g. contractus, do, ut des; vel ut facias, vel facio, ut des.

Quid est mutuum?

Est contractus, quo quantitas ex lege datur, ut eadem ipsa reddatur, non in specie, seu in genere.

Quid est indebitum?

Est quasi contractus ortus ex eo, quod quis per errorem aliquid solverit quod non debebat.

Quare dicis quasi contractus?

R. Quia qui solvit per errorem indebitum, non vult contractum facere, sed potius distractum.

Per quem errorem debet aliquid esse solutum ad hoc, ut detur petitio indebiti?

R. Per errorem facti, nam per errorem Juris solutum non repetitur, quia error sive ignorantia juris habetur pro scientia: qui autem sciens indebitum solvit,

non potest repetere, quia censetur donare.

Quid est error, seu ignorantia Juris?

Quando quis ignorat aliquid, quod habetur in jure, v. g. si quis ignoret, quod hæres gravatus ultra dodrantem legati, possit repetere quartam Falcidiam.

Quid error, seu ignorantia facti?

Quando quis ignorat aliquid quod non habetur in jure, v. g. si quis ignorat Testamentum factum, & se in eodem hæredem institutum esse.

Quid est Commodatum?

Est contractus quo res gratis traditur certi usus gratia, ut eo finito, eadem specie restituatur.

Quare in definitione Commodati additur illa particula Gratis?

Resp. Quia commodatum debet esse gratuitum, nam alioquin esset alius contractus.

Quare additur ad certum usum?

R. Ut excludatur precarium.

Quid est Precarium?

Quando res aliena gratis conceditur ad quemlibet indifferentem usum.

Quæ-

Quænam est differentia inter Commodatum & Precarium?

Resp. Quod Precarium semper possit repeti; Commodatum vero non possit repeti ante finitum usum, ad quem res concessa est.

In quo differunt Commodatum & Mutuum?

R. In eo, quod in mutuo transferatur dominium, in commodato vero tantùm conceditur usus rei; deinde quod in mutuo debeat res restitui in eodem genere; in commodato debeat res restitui in specie.

Quid est Depositum?

Est contractus re initus, quo res alicui gratis custodienda committitur.

Quare additur illa particula Gratis?

R. Quia depositum debet esse gratuitum, alioquin esset alius contractus; si enim merces intervenerit consistens in pecunia numerata, tunc erit contractus locationis.

Quid si alia res intervenerit quàm pecunia numerata?

R. Tunc erit contractus aliquis innominatus.

Quo-

Quotuplex est Depositum?

Duplex: Aliud specificum, aliud sequestrum.

Quid est Depositum specificum?

Quando res non litigiosa deponitur.

Quid est Depositum sequestrum?

Quando res litigiosa deponitur.

Quid est Pignus?

Est contractus re initus, quo res mobilis traditur creditori in securitatem debiti

Nota, quod pignus hìc strictè sumatur nam pignus latè sumptum, est quælibet res creditori obligata, sive sit mobilis sive immobilis, sive sit tradita, sivè non

Quænam sunt famosa pacta, quæ solent apponi pignori?

R. Pactum Anticresios, & pactum Legis Commissoriæ.

Quid est Anticresis?

Est pactum, ut Creditor lucretur fructus ex pignore provenientes, donec debitum sit solutum.

Quid est Lex Commissoria?

Est pactum, ut si intra certum tempus debitum non fuerit solutum, Creditor acquirat pignus loco debiti.

Qui

Quid est Dolus?

Est destinata voluntas alteri nocendi.

Quotuplex est Dolus?

Duplex: Alius est bonus, alius malus.

Quid est Dolus bonus?

Qui licitus est, v. gr. hostibus insidias struere.

Quid est Dolus malus?

Qui est illicitus, v. g. furari, aliquem occidere, injuriam alicui facere.

Quid est Casus fortuitus, sive fatalis?

Est casus, seu eventus, qui consilio, aut diligentia nostrâ evitari non potest, v. g. mortalitas pecorum, naufragium, hostium incursus, & his similia.

Quid est culpa?

Est omnis negligentia, aut imperitia rebus alienis damnum inferens.

TITULUS XVI.

De Verborum obligationibus.

Quid est verborum obligatio?

Est contractus, qui oritur ex interrogatione & responsione, estque

vel principalis, ut stipulatio, vel accessoria, ut fidejussio.

Quid est stipulatio?

Est verborum conceptio, qua is qui interrogatur, daturum se quod interrogatus est, respondet.

Quotuplex est stipulatio?

Alia est pura in diem facta, & alia conditionalis.

Quid est stipulatio pura?

Quæ fit sine additione diei, vel conditionis, v. g. centum aureos mihi dare spondes, spondeo.

Quid stipulatio in diem facta?

Quæ fit cum additione diei, quo die solutio fieri debet, v. g. centum aureos mihi dare spondes primis calendis Martiis, spondeo.

Quid est stipulatio conditionalis?

Quæ fit cum additione conditionis, v. g. centum aureos mihi dare spondes, si cras fuerit serenum, spondeo.

Quomodo differunt istæ stipulationes quoad effectum?

R. Quod in stipulatione pura statim res debeatur, & statim peti possit; in sti-

stipulatione in diem facta statim res quoque debeatur, sed non peti possit ante diem lapsum, qui stipulationi adjectus est : in stipulatione conditionali res neque debetur, neque peti potest ante eventum conditionis adjectæ.

TITULUS XVII.

De duobus Reis stipulandi & promittendi.

Quid sunt duo Rei stipulandi?

Resp. Duo, qui eamdem rem stipulati sunt.

Quid sunt duo Rei promittendi?

Sunt duo, qui eamdem rem promiserunt.

Ex duobus Reis promittendi potestne unus pure, & alter sub conditione obligari?

Resp. Ita.

TITULUS XVIII.

De Stipulatione Servorum.

Quomodo potest servus stipulari, cum sit incapax eorum, quæ sunt Juris Civilis, stipulatio autem est contractus Juris Civilis?

Resp. Quia servus est capax stipulationis ex persona Domini sui, licet non sit capax ex persona propria.

Ad quem pertinet id quod servus communis stipulatur, id est, habens plures Dominos?

R. Pertinet ad singulos Dominos secundum Dominii portionem, quam quisque Dominus in servo habet.

TITULUS XIX.

De divisione Stipulationum.

Quomodo dividuntur Stipulationes?

Resp. In Judiciales & Prætoris, in Communes & Conventionales.

Quid

Quid sunt stipulationes judiciales?

Quæ à mero judicis officio proficiscuntur, ut cautio de dolo.

Quid sunt stipulationes prætoriæ?

R. Quæ ex mero Prætoris officio extra judicium interponuntur, v. g. cautio de damno necdum lato, sed quod futurum timetur.

Quid sunt stipulationes communes?

Quæ jubente Prætore, extra judicium, & interdum officio judicis in judicio proponuntur, v. g. cautio rem pupilli salvam fore.

Quid sunt stipulationes conventionales?

Quæ ex conventione utriusque partis non concipiuntur.

TITULUS XX.

De inutilibus Stipulationibus.

Quid est inutilis Stipulatio?

Resp. Quæ de jure non sortitur effectum, ut stipulatio in quantitate & qualitate.

An hæc stipulatio: decem mihi dare spondes, quinque dare spondeo, valeat saltem quoad quinque?

R. Ita, quia interrogatio & responsio conveniunt quoad quinque; nam qui petit decem, censetur etiam petere quinque, cùm quinque contineantur in decem.

Valetne stipulatio facta inter absentes, v. g. per epistolam?

R. Non, quia stipulans debet audire verba promittentis, & promittens debet audire verba stipulantis.

An ergo mutus, vel surdus non possit stipulari?

R. Non.

Valetne Stipulatio præpostera, v. g. spondesne te daturum hodie mihi centum aureos, si cras fuerit serenum?

R. Olim non valebat, sed hodie valet.

TI-

TITULUS XXI.

De Fidejussoribus.

Quis dicitur Fidejussor?

Resp. Qui se pro alio per stipulationem accessorie obligavit.

Quis dicitur Expromissor?

Qui per stipulationem ita se pro alio obligavit, ut alter non maneat amplius obligatus, ut v. g. Titi, spondesne te mihi daturum centum aureos, quos debet mihi Mevius? Spondeo.

Quis est Constitutor pecuniæ?

Qui nudo pacto promittit se soluturum id, quod ipse vel alius jam antea debebat.

Quænam præcipua beneficia competunt Fidejussoribus?

R. Beneficium ordinis, sive excusionis; beneficium divisionis, sive Epistolæ Divi Adriani; & beneficium cedendarum actionum.

Quid est beneficium Ordinis sive excussionis?

Est Beneficium, quo creditor cogitur primò agere contra debitorem principa-

lem antequam possit procedere contra fidejussorem.

Quid Beneficium divisionis, sive Epistolæ Divi Adriani?

Est Beneficium, quo creditor cogitur actionem dividere, & debitum petere per partes à singulis confidejussoribus.

Quid Beneficium cedendarum actionum?

Est Beneficium, quo creditor cogitur actiones suas cedere fidejussori, qui paratus est totum debitum solus solvere.

TITULUS XXII.

De literarum Obligationibus.

Quid est Obligatio Literarum?

Est obligatio orta ex contractu literarum.

Quid est Contractus Literarum?

Est contractus ortus ex dato Chirographo sub spe accipiendi mutuas pecunias, quas tamen non accepit.

Quid remedii habet ille, qui sic dedit suum Chirographum?

Datur ei exceptio non numeratæ pecuniæ.

In-

Intra quod tempus debet proponi exceptio non numeratæ pecuniæ?

R. Olim intra quinquennium proponi debuit à tempore dati Chirographi; hodie ex Justiniani constitutione intra biennium.

Quisnam debet probare pecuniam esse numeratam, vel non?

R. Creditor debet probare se pecuniam numerasse.

Quare hoc, cum exceptiones debeant probari ab eo, qui eas allegat?

Resp. Hæc exceptio est privilegiata in eo, quod onus probandi projiciat in adversarium.

TITULUS XXIII.

De Obligationibus ex consensu.

Quinam sunt Contractus solo consensu initi?

Resp. Emptio, Locatio, Venditio, Societas, & Mandatum.

Quid est Obligatio ex consensu?

Est obligatio orta ex solo consensu, v. g. ex empto, ex vendito, ex locato, ex conducto, &c.

Quid est Contractus solius consensus, sive solo consensu initus?

Est contractus, qui ad sui perfectionem ultra consensum non requirit actualem rei traditionem, nec certam formulam verborum, nec literas, nec Chirographum, ut Emptio, Venditio, Locatio, Societas, & Mandatum.

Quid est Chirographus?

Est Schedula continens obligationem.

TITULUS XXIV.

De Emptione, & Venditione.

Quid est Emptio, & Venditio?

Resp. Est contractus, quo res aliqua per mutuum consensum pretio commutatur.

Quare in definitione Emptionis, & Venditionis additur illa particula Pretio?

R. Ut distinguatur à permutatione. Nam quando aliquid permutamus, tunc solemus dare, v. g. pro uno pileo, unum alium pileum, vestem; aut aliquid aliud; quando aliquid emimus, solemus dare pecuniam numeratam, id est pretium.

Potestne pretium conferri in arbitrium alicujus tertii, v. g. Fundus iste sit tibi venditus quanti Titius existimaverit?

R. Ita, ista venditio valet tanquam conditionalis.

Ad quem pertinet periculum rei, & incommodum circa rem contingens, antequam res emptori tradita est?

R. Ad Emptorem.

Licetne pœnitere seu recedere ab emptione & venditione?

R. A perfecta non licet, sed bene licet ab imperfecta, & quidem impune, nisi datæ fuerint arrhæ; si enim arrhæ datæ sint, & venditor velit recedere, tenetur arrhas duplicatas restituere: si enim emptor velit recedere, tunc amittit arrhas.

Quid sunt arrhæ?

Sunt illud, quod datur in signum contractus celebrati vel celebrandi.

TITULUS XXV.

De Locatione, & conductione.

Quid significat locare?

Resp. Significat aliquid dare ad utendum pro certa mercede.

Quid significat conducere?

R. Est accipere aliquid ad utendum vel faciendum.

Quid est locatio conductio?

Est contractus juris gentium bonæ fidei, quo præstatur usus rei, aut opera certa mercede constituta.

In quo locatio conductio convenit cum emptione venditione?

Resp. In eo, quod locatio conductio contrahatur solo consensu, ita etiam venditio: & sicuti in locatione conductione requiritur certa merces, sic in venditione requiritur certum pretium; item sicut pretium venditionis conferri potest alicui tertio, v. g. (ista res sit tibi vendita, quantum Titius æstimaverit) ita etiam merces locationis conductionis, v.g. ista res sit tibi locata quantum Titius æstimaverit.

In quo locatio conductio non convenit cum emptione venditione?

R. Quod in venditione rei proprietas alienetur, in locatione autem tantum usus rei in alium transferatur.

Quæ actio competit locatori?

R. Actio locati, item actio conducti

com

competit conductori.

DE EMPHYTEUSI.

Quid est emphyteusis?

R. Est contractus Juris Civilis nominatus, quo alicui prædium aliquod possidendum vel fruendum traditur ea lege, ut pensio annua inde domino prestetur.

An in emphyteusi remittatur pensio propter sterilitatem, sicut in locatione conductione?

R. Quod non, quia in emphyteusi non solvitur pensio propter fructus ex re provenientes, sed in recognitionem directi dominii: in locatione conductione solvitur pensio propter fructus ex re provenientes. Unde si fructus non proveniant, meritò remittitur pensio.

Quotuplex est emphyteusis?

Duplex: Alia est Ecclesiastica, alia est Civilis.

Quid est emphyteusis ecclesiastica?

Quæ consistit in bonis ecclesiasticis.

Quid est emphyteusis civilis?

Quæ consistit in bonis civilibus.

Quomodo differunt inter se emphyteuta ecclesiasticus, & emphyteuta civilis?

R. In eo, quod emphyteuta ecclesiasticus amittat jus suum, si pensionem non solverit per biennium: civilis vero si pensionem non solverit per triennium.

Quare emphyteuta civilis habet longius tempus ad solvendum pensionem, quàm ecclesiasticus?

R. Quia ecclesiasticus, si tempore suo non solverit pensionem, potest purgare moram per celerem satisfactionem. Civilis vero non potest purgare moram. Unde cùm in uno gravetur, sublevatu. in alio, nempe in longius tempus.

TITULUS XXVI.

De Societate.

Quid est Societas?

Resp. Est contractus solo consensu initus, quo res vel operæ conferuntur, ut lucrum & damnum inde conveniens sit commune.

Dico res vel operæ, quia etiam valet societas, ut unus pecuniam, & alter solam operam conferat.

Qua-

Quare dicis ut lucrum & damnum sit commune, cum bene valeat societas, ut unus solus habeat totum lucrum?

R. Etiam non valet, quia de natura societatis est, ut damnum etiam sit commune.

Quare non valet societas leonina?

R. Quia communio lucri est de substantia societatis.

Quænam sunt substantialia, sive de substantia, & quænam sunt de natura, sive de naturali contractu?

R. De substantia dicuntur ea, sine quibus contractus esse non potest, v. g. de substantia venditionis est, ut pretium consistat in pecunia numerata. De natura dicuntur illa, quæ tacitè insunt contractui; sed tamen pacto seu conventione partium abesse possunt, v. g. de natura venditionis est, ut venditor teneatur de evictione, potest autem convenire, ne de evictione teneatur.

Quid hoc significat venditorem teneri de evictione?

R. Quod qui vendidit rem aliquam alienam, teneatur emptori præstare interesse, quod inde pateretur si res ei evincatur, id

id est per sententiam Judicis auferatur, vel adjudicetur.

Quid est evictio?

Est rei nostræ, quam adversarius justo titulo acquisivit, per sententiam Judicis recuperatio.

Valetne societas quando quis habet plures partes lucri quàm alter?

R. Ita, sed tantùm prohibetur conventio, ut unus habeat totum lucrum.

Quotuplex est societas?

Duplex: Alia est universalis, alia est particularis.

Quid est societas universalis?

Est, quæ initur vel expresso omnium bonorum lucro, vel simpliciter.

Quænam est differentia inter societatem omnium bonorum expressè initam, & societatem simpliciter initam?

R. Quod societas omnium bonorum expressè inita pertineat ad omnia lucra, sive ex negotiatione proveniant, sive ex alio beneficio, ut sunt, v. g. legata, hæreditates: societas vero simpliciter inita pertinet solum ad lucra, quæ ex negotiatione proveniunt.

Quid

Quid est societas particularis?

Est societas inita de certa negotiatione tantùm, v. g. de emendo, vel vendendo tritico, vino, oleo, &c.

Quomodo finitur societas?

R. Variis modis, v. g. mutuo consensu, vel etiam renuntiatione unius, vel morte unius; vel per hoc, quod finis negotio impositus sit publicatione, vel etiam si unus cesserit bonis.

Quid est cessio bonorum?

Est bonorum suorum à debitore sponte facta dimissio, & creditoribus concessio.

Quare societas finitur per hoc, quod unus cedat bonis?

R. Quia in societate censentur etiam facultates socii spectatæ fuisse.

Quare morte socii finitur societas, ita ut nequidem transeat ad hæredes socii?

R. Quia in societate censetur electa fuisse industria personæ.

Quare potest quis renunciare societati potius quàm aliis contractibus?

R. Quia est contra jus fraternitatis (quod societati inest) ut quis invitus in ea manere debeat; nam communio inter invitos solet excitare rixas & discordias.

TI-

TITULUS XXVII.

De Mandato.

Quid est Mandatum?

Resp. Est contractus solo consensu initus, quo negotium aliquod honestum gratis gerendum committitur.

Dico honestum, quia mandatum rei turpis non valet.

Qualiter contrahitur mandatum?

R. Vel expressè, id est, rebus expressis, veluti, volo, rogo, mando: vel tacitè, quod fit per patientiam, cum quis non prohibet, sed tacet; nam tacendo censetur consentire per ratihabitionem, dum quis ratum habet quod gestum est.

Quibus modis contrahitur mandatum?

R. Quinque potissimum modis: primò, gratia mandantis tantùm: veluti si tibi mandem, ut aliquid mei gratia facias. Secundò, gratia utriusque & mandantis, & mandatarii; ut si mandem tibi aliquid, quod utriusque nostram respiciat utilitatem. Tertiò, gratia aliena tantùm, si tibi mandem ut Titii negotia geras. Quartò, *gratia aliena* & mandantis: si alicui man-

lem, ut mihi & Titio domum emat. Quinto gratia tua & aliena, si mandem tibi ut Titio pecuniam sub usuris credas.

An mandatum tua gratia tantum sit verum mandatum, v. gr. mando tibi ut cum pecuniis emas potius libros quam picturas?

Resp. Non. Quia potius consilium est, quàm mandatum. Nemo enim ex consilio obligatur.

An liceat mandato semel suscepto renuntiare?

R. Ita, si quis tempestivè renuntiat, id est, si domino adhuc integrum sit, ut per se vel per alium negotia sua expedire possit.

TITULUS XXVIII.

De Obligationibus, quæ quasi ex contractu nascuntur.

Quid est quasi contractus?

Est actus obligatorius, qui non est verus contractus, majorem tamen affinitatem habens cum vero contractu, quàm cum maleficio, ut v. g. negotiorum

rum gestio, rerum communio, hæreditatis aditio, tutelæ administratio, solutio indebiti.

Quid est negotiorum gestio?

Est quasi contractus ortus ex eo, quod quis negotia absentis sponte gerat.

Dico *absentis*, quia si quis præsens sciat sua negotia ab aliquo geri, & non contradicat, censetur mandare, & sic non erat quasi contractus.

Qualis contractus tunc erit?

R. Mandati.

Dico *sponte*, ut excludatur Procurator; Procurator enim non sponte, sed mandato domini negotia aliena administrat.

Quis est negotiorum gestor?

Qui negotia absentis sponte gerit.

Quid est rerum communio?

Est quasi contractus ortus ex eo, quod res aliqua inter aliquos communis facta sit extra societatis causam, v. g. si eadem res donata, aut legata fuerit duobus, qui non sunt socii universales.

Dico *extra causam societatis*, quia si res communis sit inter aliquos ex causa societatis, tunc non erit quasi contractus, sed verus contractus, scilicet societatis.

Quid

Quid est administratio tutelæ?

Est quasi contractus ortus ex eo, quod is administrat tutelam.

Quid est hæreditatis aditio?

Est quasi contractus ortus ex eo, quod lis advertit hæreditatem.

im quibus personis hæres adeundo hæreditatem quasi contrahit?

Resp. Cum legatariis & creditoribus ereditariis defuncti.

TITULUS XXIX.

Per quas personas nobis obligatio acquiritur.

er quas personas obligatio nobis acquiritur?

Resp. Acquiritur nobis obligatio per easdem personas, per quas acquirir nobis dominium, de quibus supra, b tit. Per quas personas cuique acquirir, scilicet lib. 2. tit. 9.

TITULUS XXX.

Quibus modis tollitur obligatio.

Quomodo tollitur obligatio?

Resp. Solutione, acceptilatione, novatione, mutuo consensu, & compensatione.

Quid

Quid est solutio?

Est quilibet modus, quo tollitur obligatio.

Quid est novatio?

Est vera ac naturalis præstatio ejus quod debetur.

Quid est acceptilatio?

Est imaginaria solutio, qua id quod ex stipulatu debetur, accepto fertur.

Quare dicis, id quod ex stipulatu debetur?

R. Quia per acceptilationem tantùm tolli potest obligatio verborum.

Quid si velimus tollere alias obligationes per acceptilationem, qua debemus tunc uti?

Resp. Debemus tunc uti stipulatione Aquiliana, hoc est, debemus obligationem primo deducere in stipulatum, sive in obligationem verborum, & postea uti acceptilatione.

Quid est stipulatio sive acceptilatio Aquiliana?

Resp. Per quam contingit, ut rerum obligatio in stipulatum deducatur, & postea tollatur per acceptilationem.

Quid est Novatio?

Est prioris obligationis mediante stipu-

pulatione in alium confusio.

Quotuplex est Novatio?

Duplex: Alia est specifica, alia est delegatio.

Quid est Novatio specifica?

Est novatio, in qua manet idem debitor.

Quid est delegatio?

Est novatio, in qua novus debitor creditori substituitur.

Quid est compensatio?

Est debiti, & crediti, quoad concurrentem quantitatem contributio.

Nota: quòd solùm compensari possit quantitas cum quantitate ejùsdem generis, v. g. pecunia cum pecunia, triticum cum tritico.

Quare non potest compensari una species cum altera: vel quantitas cum specie?

R. Quia super species cadit affectio.

Quænam obligationes mutuo, ac solo consensu tolluntur?

R. Quæ solo consensu contrahuntur, v. g. obligatio ex empto, vendito, locato, conducto, ex societate, & ex mandato.

FINIS LIBRI TERTII.

INSTITUTIONUM IMPERIALIUM

LIBER QUARTUS.

TITULUS PRIMUS.

De obligationibus, quæ ex delicto nascuntur.

Quid est delictum?

Est factum illicitum, seu offensio contra jus illata.

Quotuplex est delictum?

Duplex: Aliud est publicum, aliud est privatum.

Quid est delictum publicum?

Ex quo quilibet agere potest, v. g. homicidium, & crimen læsæ majestatis.

Quid est delictum privatum?

Ex quo agere tantùm potest ille, cujus interest, sive ad quem res illa pertinet, ut furtum, rapina, damnum legis Aqui-

Aquiliæ, & injuria.

Quid est furtum?

Est dolosa contrectatio rei alienæ, lucri faciendi causa.

Dico *lucri faciendi causa*, quia si quis rem alienam contrectet in alium finem, quàm lucri, non erit furtum, sed aliud delictum, v. g. injuria, vel damnum legis Aquiliæ; nam intentio distinguit delicta. Dico *dolosa*, quia non quævis contrectatio maleficium ponit, sed ea tantùm, quæ fit animo privandi dominum sua re, sine quo, seu effectu furandi non committitur furtum.

Quotuplex est furtum?

Duplex: Aliud est manifestum, aliud nec manifestum.

Quid est furtum manifestum, seu fur manifestivus?

Quando fur reperitur cum re furtiva, antequam ea detulit ad locum destinatum.

Quid furtum nec manifestum, seu fur nec manifestus?

Quando fur non reperitur cum re furtiva, antequam eam detulit ad locum destinatum.

Teneturne aliquis de furto, qui tamen furtum non fecit?

R. Ita, v. g. ille, cujus ope & consilio furtum factum est, v. g. si quis ostium aut fenestram effregerit, ut aliud furaretur.

Quis dicitur dare consilium?

Qui persuadet, & impellit atque instruit consilio ad furtum faciendum.

Quis dicitur ferre opem?

Qui ministerium atque adjutorium ad surripiendas res præbet.

An filiusfamilias committat furtum, surripiendo aliquid à patre, vel servus à Domino?

R. Quod sic, & ipsa res fit furtiva; sed tamen non datur actió furti contra ipsos, quia nulla datur actio inter patrem & filium, aut inter servum & dominum.

Quare inter filiumfamilias & patrem non datur actio furti?

Quia quælibet actio desiderat duas personas; in hac verò causa patris & filii, item domini & servi una fingitur persona.

An impubes furtum faciat, surripiendo rem alienam?

R. Ita, si sit proximus pubertati, & ca-

capax doli, id est, sciat se delinquere.

Quis dicitur proximus pubertati?

Ille, qui habet decem annos cum dimidio.

Quis dicitur proximus infantiæ?

Ille, qui non habet decem annos cum dimidio.

Quid est pœna furti?

Pœna furti manifesti est quadruplum; & pœna furti nec manifesti est duplum.

TITULUS II.

De vi bonorum raptorum.

Quid est rapina?

Resp. Est violenta contrectatio rerum corporalium mobilium invito domino.

Quænam est pœna rapinæ?

Resp. Tripli.

Quomodo cum actio vi bonorum raptorum sit in quadruplum?

R. Licet actio ista sit in quadruplum, tamen pœna tantùm est tripli; nam in isto quadruplo continetur etiam simplum.

Ergo unus raptor minus punietur fur simplex, nam simplex manifestus tur ad quadruplum, quod totum est pœna?

R. Non ideo minus punietur ra nam si sit manifestus, potest con etiam actione furti manifesti: deind tor, sive sit manifestus; tenetur ac nam tripli; fur simplex autem, si s manifestus, tenetur tantùm ad pœ dupli.

Quid requiritur ad hoc, ut detur vi bonorum raptorum?

R. Vis & dolus malus.

An ille committat rapinam, qui re quam bona fide rapit, putans esse

R. Quod non; quia sic non est contrectatio; sed tamen quia est re simi exempli, talis amittit rem

TITULUS III.

De Lege Aquilia.

Quid est lex Aquilia?

Resp. Est lex quæ vindicat, seu punit damnum, cum injuria facientis datum.

Quid est damnum legis Aquiliæ?

Est damnum cum injuria facientis datum.

Dicitur cum injuria facientis, ut excludatur pauperies; nam lex Aquilia non agit de pauperie, quæ est damnum sine injuria facientis datum, nempe à quadrupede.

Quot sunt capita legis Aquiliæ?

Resp. Hodie tantùm duo, sed olim fuerunt tria.

TITULUS IV.

De Injuriis.

Quid est Injuria?

Resp. Contumelia in liberi hominis vilipendium commissa.

Quot modis committitur injuria?

Resp. Variis; nempe re, verbis, & literis. Re, cum quis pugno pulsatur; verbis, cum quis alteri convitium dicit; literis, cùm quis famosum libellum ad infamiam alicujus conscribit.

Quotuplex est injuria?

Duplex: Alia est levis, & alia est atrox.

Quid est injuria levis?

Est, quæ fit, cùm quis leviter, & levi ex causa ab aliquo injuriosè pulsatur.

Quid est injuria atrox?

Est injuria, quæ quasi contumeliosior & major æstimatur.

Per quas personas quis dicitur pati injuriam?

R. Per uxorem, per liberos in potestate nostra existentes, item per servos, si nimirum aliquid atrocius in servum committatur, & quod manifestam contumeliam domini respicit, v. gr. si quis servum alienum atrociter verberaverit in contemptum domini.

Quænam est pœna injuriarum?

R. Olim pro membro rupto pœna erat talio; pro osse autem fracto erant certæ pœnæ pecuniariæ.

TITULUS V.

De Obligationibus, quæ quasi ex delicto nascuntur.

Assigna obligationem aliquam ex quasi delicto ortam.

Resp. Obligatio qua tenetur judex, qui per imprudentiam male judicavit.

Quid est obligatio, quæ ex quasi delicto nascitur?

Est, quæ non ex voluntate & destinatione agentis, sed magis ex imperitia negligentiave proficiscitur tamquam ex quasi delicto.

Quid est quasi delictum?

Est actus obligatorius, qui non est verum delictum, majorem tamen affinitatem habens cum delicto, quam cum contractu, ut v. gr. ille, ex cujus ædibus erutum aut dejectum est, quod nocuit transeunti quasi delinquit.

TITULUS VI.

De Actionibus.

Quid est Actio?

Resp. Est jus persequendi in judicio quod sibi debetur.

Quotuplex est actio?

Actio variis modis dividitur, nam in primis actio alia est in rem, alia in personam, & alia mixta.

Quid est actio in rem sive realis?

Qua quis agit contra aliquem, qui nullo jure ei obligatus est, movet tamen ei de re aliqua controversiam.

Quid est actio in personam, sive personalis?

Qua quis agit contra illum, qui obligatus est ex contractu, maleficio, vel quasi.

Quid est actio mixta hic?

Quæ partim est in rem, & partim in personam, ut actio familiæ erciscundæ, actio communi dividundo, & actio finium regundorum.

Quid

Quid est actio familiæ erciscundæ?

Est actio mixta competens hæredibus dividenda hæreditate de eo, quod alterum alteri præstare oportet.

Familia hic accipitur pro hæreditate, & erciscere, idem est quod dividere.

Quid est actio communi dividundo?

Est actio mixta descendens quasi ex contractu, quæ datur iis, inter quos res aliqua est communis ex causa legati, vel donationis, & ut dividatur.

Quid est actio finium regundorum?

Est actio mixta competens illis, qui confines habent agros, ad hoc ut fines sive termini dirimantur ac extinguantur, vel alicui partium adjudicentur.

Quotuplex est actio in rem?

Duplex: Directa, quam habet dominus adversus possessorem quemcumque. Utilis, quam habet utilis dominus, ut vassallus, &c.

Quænam actiones dantur ad vindicandas res corporales?

Resp. Actio confessoria, & actio negatoria.

Quid

Quid est actio confessoria?

Est actio realis, qua quis vindicat, seu asserit servitutem fundo suo.

Quid est actio negatoria?

Est actio realis, qua quis vindicat seu asserit libertatem fundo suo, & negat alteri competere servitutem.

Quomodo dividuntur adhuc actiones?

Aliæ sunt civiles, aliæ sunt prætoriæ.

Quæ dicuntur actiones civiles?

Quæ ex legitimis & civilibus causis descendunt, v. g. rei vindicatio, actio confessoria, negatoria, &c.

Quæ dicuntur actiones Prætoriæ?

Quas Prætor ex sua jurisdictione comparatas habet, ut est actio publicana.

Actiones Prætoriæ aliæ sunt in rem, aliæ in personam.

Assigna aliquas actiones Prætorias in rem.

Resp. Actio Publicana, Rescissoria, Pauliana, Serviana, & quasi Serviana.

Quid est actio Publicana?

Est actio in rem Prætoria qua petimus id quod ex justa causa à non domino bona fide per traditionem acquisivimus & nondum usucepimus.

Quid

Quid est actio rescissoria?

Est actio in rem Prætoria, qua rescissa usucapione, quæ facta esse negatur ; datur pristinæ rei domino ad recuperandam rem suam à possessore usucaptam, quasi numquam usucapta fuerit.

Quid est actio Pauliana?

Est actio in rem Prætoria, qua revocantur ea, quæ in fraudem creditorum alienata sunt.

Qui est actio Serviana?

Est actio in rem prætoria; qua experitur, quis de rebus coloni, quæ pignoris jure pro mercedibus fundi ei tenentur.

Dico Coloni, quia actio Serviana non datur de rebus inquilini, vel aliorum debitorum, sed solùm de rebus coloni.

A quo instituta est hæc actio?

Resp. A Servio Prætore.

Quid est colonus?

Est conductor prædii rustici.

Quid est inquilinus?

Est conductor prædii urbani.

Quid est actio quasi Serviana?

Est actio in rem prætoria, quæ datur creditori contra possidentem rem sibi ex-

pres-

pressè in specie, vel generaliter & tacitè obligatam ad consequendam ejus rei possessionem.

Quomodo adhuc dividuntur actiones?

R. Aliæ sunt rei persecutoriæ, aliæ pœnæ persecutoriæ, aliæ imperfectæ.

Quid est actio rei persecutoria?

Qua persequimur id quod ex patrimonio nostro abest, vel nostra interest.

Quid est actio pœnæ persecutoria?

Qua actor petit, quod nec sibi abest, nec reo adest.

Quid est actio imperfecta?

Qua partim pœnam aliquam, & partim rem aliquam persequimur.

Da actionem rei persecutoriam.

R. Actio confessoria, negatoria, publicana, & omnes reliquæ actiones in rem.

Da actionem pœnæ persecutoriam.

Resp. Actio furti, & actio injuriarum.

Da actionem imperfectam.

R. Actio vi bonorum raptorum.

Da actiones aliquas prætorias in personam.

R. Actio de constituta pecunia, actio de peculio, actio de albo corrupto.

Quid

Quid est actio de constituta pecunia?

Est actio prætoria personalis, quæ datur adversus eum, qui circa stipulationem constituit se solutum id, quod prius ipse, vel alius, quacumque ex causa etiam ex nudo pacto, naturali tantùm obligatione debebat.

Quid est actio de peculio?

Est actio prætoria personalis, competens ei, qui cum filiofamilias vel servo peculium habentibus contraxit, adversus patrem vel dominum, ut peculio tenus, deductis his, quæ naturaliter ipsis debita sunt, condemnentur.

Quid est actio de albo corrupto?

Est actio pupillaris, adversus eum competens, qui quid ex albo Prætoris, quod jurisdictionis perpetuæ causa propositum erat, dolo malo, vel per se, vel per alium, corruperit, vel album sustulerit, vel amoverit.

Quid sunt præjudicia sive actiones præjudiciales?

R. Sunt actiones, quæ exemplum præbent aliis quibusdam actionibus, v. g. actio qua quæritur, an aliquis sit liber, vel servus; vel an aliquis sit ingenuus, vel li-

libertinus: vel an aliquis sit filius Titii, vel non.

Nota, quod præjudicia, sive actiones præjudiciales non sunt propriæ actiones: Nam actio est jus petendi in judicio id, quod sibi debetur, per præjudicia autem non petimus aliquid, quod nobis debetur.

Item actiones aliæ sunt in simplum, aliæ in duplum, aliæ in triplum, & aliæ in quadruplum.

An non detur actio in quintuplum aut sextuplum?

R. Non, quia nulla datur actio ultra quadruplum.

Quid est actio in simplum?

Est actio qua petitur ipsum simplum, ut actio ex stipulatu; actio ex empto, vendito, &c.

Actio in duplum est actio, qua petitur ipsum duplum, ut actio furti non manifesti, & actio ex quasi delicto.

Actio in triplum hodie non est in usu.

Actio in quadruplum est actio, qua petitur ipsum quadruplum, ut actio furti manifesti, & actio vi bonorum raptorum.

Item

Item actiones aliæ sunt bonæ fidei, & aliæ stricti juris.

Quid sunt actiones bonæ fidei?

Ex quibus Judici libera datur potestas judicandi quantum reus actori præstare debeat, v. g. actio ex empto, vendito, locato, conducto, &c.

Quid sunt actiones stricti juris?

In quibus Judici non datur libera potestas judicandi, sed astringitur ad id, quod deductum est in contractu, v. gr. actio ex stipulatu, vel ex mutuo.

Quid est compensatio?

Compensatio est debiti invicem & crediti inter se contributio.

Quid sunt actiones arbitrariæ?

In quibus mandatum sive arbitrium Judicis locum habet, cui reus cùm non pareat, condemnetur in duplum, id est, aliquid ultra simplum, v. gr. actio quæ fit metus causa, est actio arbitraria, quia si reus ex mandato Judicis rem metu alienatam non restituat, condemnatur postea in quadruplum.

Quot modis plus petitur?

R. Quatuor, nimirum re, tempore, loco, & causa.

Quis petit plus re?

R. Qui petit majorem quantitatem, quam debetur; v. g. qui petit centum, ubi tantùm debentur octoginta.

Quis petit plus tempore?

R. Qui petit ante tempus quo solutio fieri debet, v. g. qui petit Kalendis Martii, quod debetur Kalendis Aprilis tantùm.

Quis petit plus loco?

R. Qui petit in alio loco quàm ubi res debet solvi, non facta mentione loci in quo debetur, v. g. si quis id quod Lovanii debetur petat Antuerpiæ, non faciendo mentionem quòd res solvi debeat Lovanii.

Quare dicis non facta mentione loci in quo debetur?

Resp. Quia, si fiat mentio istius loci, tunc non petitur plus loco, sed tunc est actio de eo quod certo loco.

Quid est actio de eo quod certo loco?

Resp. Est actio in qua id quod certo loco debetur, petitur in alio loco, facta mentione loci.

Quis

Quis petit plus causa?

Resp. Qui cum res in genere vel alternativè debetur, petit certam speciem, vel præcisè unam rem, v. g. si debeatur servus in genere, & petat quis Stichum præcisè: vel debeatur bos vel equus, & petat quis præcisè bovem.

Quare talis dicitur petere plus causa?

R. Quia adimit debitori electionem, nam in debito generali vel alternativo electio est debitoris.

Quænam est pœna plus petentium?

Resp. Olim causa cadebant, id est, rem amittebant; hodie vero non item; sed qui hodie petit plus re, loco vel causa, condemnatur ad omne interesse, quod debitori per suam plus petitionem intulit: & ille, qui plus tempore petit, condemnatur in litis expensas, & duplicantur induciæ, id est, duplicatur illud tempus, quod debitori restabat ad solvendum, veluti si uno mense petierit citius quam petere debuit, tunc expectare cogitur duos menses.

Fitne semper in solidum condemnatio?

R. Nequaquam; sunt enim quædam actiones, quibus non semper solidum,

quod nobis debetur, persequimur, sed modò solidum, modò minus.

Assigna exempla actionum, quibus non semper solidum, quod debetur, consequimur.

Resp. Primò, Actione de peculio. Secundò, Actione de dote. Tertiò, si Parens à filio emancipato conveniatur. Quartò, si patronus conveniatur à liberto. Quintò, si socius cum socio judicio Societatis agat. Sextò, si quis ex causa donationis conveniatur. Septimò, si ex causa compensationis. Octavò, si debitor ad inopiam fortunæ vitio redigatur.

TITULUS VII.

Quod cum eo, qui in aliena est potestate, negotium gestum esse dicitur.

Secundùm juris regulam nemo tenetur ex contractu alieno; sed tamen Prætor ex æquitate in quibusdam causis introduxit actionem ex contractu alieno: qualis est actio, quod jussu, exercitoria, institoria, tributoria, de peculio, de in rem verso.

Quid

Quid est actio quod jussu?

Est actio prætoria personalis, quæ datur adversus Patrem vel Dominum ex contractu filiifamilias, qui jussu Patris sui, aut servi, qui jussu Domini contraxerit, & quidem in solidum, quod jussum est dari.

Quid est actio exercitoria?

Est actio prætoria personalis, qua in solidum tenetur exercitor navis ex contractu Magistri, quem navi proposuit, & consequenter ex contractu ejus, quem Magister sibi substituit.

Exercitor navis dicitur, ad quem quotidianus quæstus navis pertinet.

Magister navis dicitur, cui totius navis cura commissa est.

Quid est actio institoria?

Est actio prætoria personalis & rei persecutoria, quæ ex contractu institoris adversus eum, qui præposuit in solidum ejus, quod ex contractu debitum est, datur.

Institor dicitur, qui tabernæ, vel cuilibet alteri negotiationi, præpositus est.

Præponens dicitur Dominus.

Quid est Actio tributoria?

Est actio Prætoria personalis, quâ petitur, ut Pater vel Dominus, cujus filius aut servus cum aliis contraxerunt; merces peculiares, æqualiter cum creditoribus dividant.

Quid est actio de peculio?

Et actio Prætoria personalis, ex contractu eorum, qui alieno juri subjecti sunt, proveniens, peculio tenus competens, ratione administrationis peculiaris.

Quid est actio de in rem verso?

Est actio Prætoria personalis, quæ ex contractu filiifamilias, vel servi datur in Patrem vel Dominum, de eo, quod in Patrimonium ejus redactum est: idque ideò, ne quis cum alterius jactura locupletetur, non tamen in plus tenetur quàm versum est.

TITULUS VIII.

De Noxalibus Actionibus.

Quid est Actio Noxalis?

Est actio, quæ datur contra Patrem vel Dominum ex delicto privato servi, vel de pauperie.

Dico *de pauperie*, quia actio de pauperie est etiam noxalis.

Dixi etiam *ex delicto privato servi*, quia ex tali delicto venit pœna corporalis; servus autem in corpore puniri potest.

TITULUS IX.

Si Quadrupes pauperiem fecisse dicatur.

Quid est Pauperies?

Est damnum sine injuria facientis, causatum à quadrupede naturæ non feræ, quod ex contracto quodam vitio innotuit, v. g. si equus calcitrosus aliquem calce percusserit; vel bos cornu petere solitus, aliquem cornu petierit.

TITULUS X.

De iis per quos agere possumus.

Possumusne agere per Procuratorem in judicio?

Resp. Hodie possumus olim verò tantùm in quibusdam certis causis Procurator admittebatur.

Quid est Procurator?

Qui aliena negotia ex mandato Domini administrat.

Procurator alius est ad lites, alius ad negotia.

Procurator ad lites, est Procurator ad negotia judicialia.

Procurator ad negotia, est Procurator ad negotia extrajudicialia.

Quomodo vocatur Procurator Universitatis, Collegii, Capituli, vel alterius Communitatis?

Resp. Syndicus.

TITULUS XI.

De Satisdationibus.

Quid est Satisdare?

Est adversarium suum securum facere de eo, quod in judicium venit.

Quid est Satisdatio?

Est cautio, qua adversarium securum facimus pro eo, quod à nobis petit, datis fidejussoribus aut pignoribus.

TITULUS XII.

De perpetuis & temporalibus Actionibus, & quæ in hæredes, & ad hæredes transeunt.

Quæ dicuntur Actiones perpetuæ?

Quæ olim perpetuo, sine ulla temporis præfinitione, proponi poterant.

Quæ dicuntur Actiones temporales?

Quæ anno, vel cum certi temporis præfinitione tantùm durant.

TITULUS XIIII.

De Exceptionibus.

Quid est Exceptio?

Est Actionis exclusio.

Quotuplex est Exceptio?

Alia est Civilis; alia est Prætoria, denuò; alia est perpetua seu peremptoria, & alia temporalis seu dilatoria: iterum alia est realis, alia personalis, postremò alia est facti, alia est juris.

Quæ dicuntur Exceptiones Civiles?

Quæ ex legibus, vel ex iis, quæ legis vicem obtinent, vim sortiuntur.

Quæ dicuntur Exceptiones Prætoriæ?

Quæ ex ipsius Prætoris jurisdictione substantiam capiunt.

Quæ dicuntur Exceptiones Perpetuæ?

Quæ in perpetuum agentibus obstant.

Quæ dicuntur Exceptiones Peremptoriæ?

Quæ Actionem omninò perimunt.

Quæ dicuntur Exceptiones temporales & dilatoriæ?

Quæ ad tempus nocent, & temporis di-

dilationem solùm tribuunt.

Quæ dicuntur Exceptiones reales?

Quæ rei cohærent. Et personales, quæ personæ.

Quæ dicuntur Exceptiones facti, & quæ juris?

Facti, seu intentionis executio, quæ Actoris, nullo jure agentis mentionem excludit.

Juris vero, quæ Actoris jus, id est, actionem excludit.

Quis dicitur Judex competens?

Ille, cui reus subjicitur.

Quis dicitur Judex incompetens?

Cui reus non subjicitur.

TITULUS XIV.

De Replicationibus.

Quid est Replica sive Replicatio?

Est secunda Actoris allegatio, vel exceptionis à reo propositæ exclusio.

Duplica sive Duplicatio, est exclusio replicationis, sive est secunda allegatio ipsius rei.

TITULUS XV.

De Interdictis.

Quid sunt Interdicta?

Sunt actiones extraordinariæ, quibus agitur de possessione, vel quasi possessione; vel petitur aliquid provisionaliter fieri aut vetari.

Quotuplicia sunt interdicta?

Triplicia: alia sunt prohibitoria, alia sunt restitutoria, & alia sunt exhibitoria.

Quid sunt Interdicta prohibitoria?

Quibus Prætor vetat aliquid fieri.

Quid sunt Interdicta restitutoria?

Quibus Prætor jubet aliquid restitui.

Quid sunt Interdicta exhibitoria?

Per quæ jubet Prætor aliquid exhiberi.

Quotuplicia sunt Interdicta possessoria, id est, ex quibus agitur de possessione & quasi possessione?

Triplicia, aliæ sunt adipiscendæ posses-

sio-

sionis, aliæ retinendæ, & aliæ recuperandæ possessionis.

Quid sunt Interdicta adipiscendæ possessionis?

Quibus agimus ad quærendam possessionem, quam non habuimus, cujusmodi est Interdictum: *Quorum bonorum, quod legatorum & interdictum Salvianum.*

Quid est Edictum Salvianum?

Est interdictum, quo quis agit ad acquirendam possessionem rerum, quas Colonus pro mercedibus fundi obligavit.

Quid sunt Interdicta retinendæ possessionis?

Sunt Interdicta, quibus agimus ad retinendam possessionem, quam jam habemus, ut Interdictum utrubi, Interdictum uti possidetis.

Interdictum utrubi, datur ad retinendam possessionem rerum mobilium.

Interdictum uti possidetis, datur ad retinendam possessionem rerum immobilium.

Quid sunt Interdicta recuperandæ possessionis?

Sunt Interdicta, quibus agimus ad re-

cuperandam possessionem, quam habuimus & jam amisimus, ut Interdictum Unde vi.

Quid est Interdictum unde vi?

Est interdictum, quod ad recuperandam possessionem datur ei, qui vi dejectus est ex possessione rei immobilis.

TITULUS XVI.

De Pœna temerè litigantium.

Quotuplex est Pœna temerè litigantium?

Resp. Triplex: Juramentum Calumniæ, pœna pecuniaria, & infamia.

Quid est Juramentum Calumniæ?

Est Juramentum quo litigantes jurant litem sibi justam videri, & non calumniosè procedere.

Quid est Calumnia, sive Calumniari?

In causis civilibus est aliquem vexare per fraudes & frustrationes; in causis criminalibus est aliquem accusare de falso crimine.

Quid est Infamia?

Est læsio æstimationis seu famæ.

Quo-

Quotuplex est Infamia?

Duplex: Alia est juris, alia est facti.

Quid est Infamia Juris?

Quæ infligitur à jure, vel per sententiam judicis.

Quid est Infamia Facti?

Est quæ descendit solùm ex judicio gravium virorum, sic v. g. fur tamdiu quàm non est condemnatus de furto, laborat tantùm infamia facti; ubi vero est condemnatus de furto, laborat etiam infamia juris.

TITULUS XVII.

De Officio Judicis.

Quid est Judex.

Qui Jurisdictioni præest.

Quid est Jurisdictio?

Est publica potestas cognoscendi de causis criminalibus & civilibus.

Quænam in Judice requiruntur?

R. Hæc tria: primò, ut potestatem judicandi habeat. Secundò, ut eam habeat

in causa, de qua lis movetur. Tertiò, ne suspectus sit illi, qui convenitur.

Quid est officium Judicis?

Judicare, decernere, punire secundùm leges & consuetudines.

Quotuplex est officium Judicis?

Duplex: Aliud est nobile, aliud est mercenarium. Nobile est, quod non inservit alicui institutæ actioni, v. g. in integrum restituere.

Mercenarium, quod inservit alicui institutæ actioni, v. g. condemnare emptorem ad solvendum.

TITULUS XVIII.

De publicis Judiciis.

Quid sunt publica Judicia?

Quibus agitur de delicto publico, v. g. de crimine læsæ Majestatis, de Homicidio, de Parricidio, Adulterio, & Stupro.

Quid est Crimen læsæ Majestatis?

Est crimen, quod committunt ii, qui aliquid hostile moliuntur adversus Princi-

cipem aut Rempublicam, vel arrogant sibi aliqua, quæ sunt Majestatis.

Dico *Vel arrogant sibi aliqua, &c.* quia crimen læsæ Majestatis duplex, scilicet perduellio, & crimen læsæ Majestatis specificum.

Quid est Perduellio?

Est quando quis aliquid hostile molitur, v. g. Castra vel Urbes Principis occupando, aut hostibus tradendo, vel exercitum prodendo.

Quid est crimen læsæ Majestatis specificum?

Est quando quis nihil hostile molitur, sed tantum arrogat sibi ea, quæ sunt Majestatis, v.g. si quis sine licentia Principis monetam, aut nova vectigalia imponat.

Quid est Adulterium?

Est alieni Thori vel Matrimonii violatio.

Quid est Stuprum?

Est virginis vel Viduæ honestè viventis defloratio.

Quid est Homicidium?

Est violenta vitæ hominis ademptio.

Quotuplex est Homicidium?

Triplex: Voluntarium, Necessarium, & Casuale.

Quid est Homicidium voluntarium?

Quando quis destinata & malâ voluntate aliquem occidit.

Quid est Homicidium necessarium?

Quando quis moderamine inculpatæ tutelæ, & ob sui defensionem aliquem occidit.

Quid est Homicidium casuale?

Quando quis non destinatâ voluntate, sed casualiter aliquem occidit.

Quid est Parricidium?

Quando quis occidit aliquem ex consanguineis.

Parricidium latè sumptum hic definitur.

Parricidium strictè sumptum, est quando quis occidit aliquem ex Parentibus, aut liberis, v. g. si quis occidit Patrem, Vitricum, vel Filium.

Quænam est Pœna Parricidii?

Resp. Pœna Parricidii late sumpti, est

pœ-

pœna ordinaria homicidii; pœna vero Parricidii strictè sumpti, ut priùs sanguineis virgis Parricida percutiatur, postmodum insinuatur in culeo, cum cane, vipera, gallo gallinaceo, simia, atque ita projiciatur in mare vel in amnem, ut privetur omni genere elementorum, tamquam vita indignus, qui eos occidit, per quos lumen accepit.

FINIS.



INDEX ALPHABETICUS

Titulorum prioris synopseos Enchiridii Juris,

SEU

Qui in priore Synopsi hac per Definitiones, Distinctiones, & Quæstiones clare & breviter definitas ex Decretalium, id est, Juris Canonici libris quinque ab Auctore Bartholomæo à Carthagena comprehenduntur & enucleantur.

A

De

De

De

Indicis Titulorum synopseos prioris Decretalium

FINIS.

IN-



INDEX ALPHABETICUS
TITULORUM POSTERIORIS synopseos Enchiridii Juris,

SEU

Qui in hac synopsi posteriori per Definitiones, Distinctiones, & Petitiones, id est, quæstiones Juris Civilis ex quatuor Institutionum Imperialium libris comprehenduntur & enucleantur.

De

De

M

N

tum

De

Qui

Lib.Tit.Pag.

Q

R

De

De

V

gi

Indicis Titulorum in synopsi posteriori Juris Civilis Institutionum

FINIS.

Res ubicunque est pro suo domino clamat





